BIBLIOTECA NAZ.
LIBRERIA MATURI
125
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

MEDICINAE THEORETICAE ELEMENTA

AUCTORE

NICOLAO ANDRIA

A. & M. D.

In Regio Archigymnaſio Neapolitano pub.
Prof. Acad. Natur. curioſ. Berolin.
Georgoph. Florent. Acad. Reg.
Lycien. Socio , &c.

BIBLIOTECA NAZIONALE

NEAPOLI

Ex Officina VINCENTII MANFREDII.

SUPERIORUM FACULTATE.

MDCCLXXXVIII.

INDEX
CAPITUM.

PROLEGOMENA. pag. 1

HYGIOLOGIA. 3

CAPUT I.

De ſanitate in genere, ejuſdemque phaenomenis. 4

CAPUT II.

De ſanitate in ſpecie, ejuſdemque phaenomenis. 9

CAPUT III.

De regulis, quibus firmior valetudo reddi poteſt, & conſervari. 16

PA-

Digitized by Google

PATHOLOGIA. pag. 63

C A P U T I.

De natura morbi, & ejuſdem differentiis. 65

C A P U T II.

De cauſſis morborum. 80

C A P U T III.

De morborum ſyntomatibus. 102

C A P U T IV.

De ſignis morborum. 106

C A P U T V.

Therapeutica. 146

Digitized by Google

MEDICINAE THEORETICAE ELEMENTA:

PROLEGOMENA.

HActenus corpus humanum, ut Phyſicos decet, in Phyſiologia conſideravimus; nunc vero ut Medici debent, illud examini ſubjicere oportet. Porro Medicorum munus eſt, rectam corporum noſtrorum valetudinem firmam reddere, vel lapſam reſtituere; atque hinc non modo morborum, ſed & perfectae ſanitatis hiſtoriam perſpicuam illis eſſe debere, ſatis apparet. Duplex ergo habetur Medicina; alia

enim ſecundam valetudinem reſpicit, ſive ſanitatem ſic propria dictam, & omnes vias, quibus illa optime tueri poteſt; altera adverſam valetudinem conſiderat, tum & modum quo ipſa tandem aliquando integra reddi utcunque valeat. Dum vero de utraque nunc tractationem explere curabimus, ut recte idipſum fiat, primum de ea, quae ſanum corporis ſtatum, poſtea de illa, quae infirmum perpendit, ſermo inſtituendus erit. Enimvero omnis morbi ſcientia relationem habet cum ſcientia ſalutis, quae ſtatum naturalem conſtituit corporum noſtrorum; ita ut ſine hac ne ulla quidem morborum notitia haberi poterit, vel ſaltem imperfecta, quae habebitur, cenſenda erit. Quapropter in duas partes haec Medicinae elementa diviſa exhibemus. Prima *Hygiologia* eſt, ſive generalis ſanitatis tractatio, cui & *Hygienem* conjungimus, methodum nempe, qua ſanitas integra conſervari poteſt. Altera *Pathologiam* explet, generalem ſcilicet de morbis ſermonem, quae ſociam habet *Therapeuticam*, ſive methodum iis adminiſtrandis opportunam, quibus res aegrotantium optime dirigi poſſit, ac ſuſtentari.

HY-

HYGIOLOGIA.

HAec Medicinae pars, quam *Hygiologiam* appellavimus non modo ex dictis omnis ſapientiae medicae fundamentum ſtatuit, verum ut certior, ac proinde utilior Medicina habenda erit. Quandoquidem ſepius morbi exoriuntur, quos ſanare impoſſibile eſt, cum impares artis humanae vires illis reparandis omnino inveniantur. Eoſdem vero vitare optime poſſumus, dummodo prae oculis ea ſemper habeantur, quae ex probe prius intellecta ſanitatis conditione eidem ſuſtentandae optime inſervire queant. Mirum ergo alicui videri poterit, hanc ut plurimum ab hominibus neglectam prorſus inveniri; qui nullam ceteroquin medicinam eſſe facile ſibi perſuadent, praeter eam, quae aegrotantes reſpicit, quaeque infructuoſa ut plurimum experitur, ac perpetuum nonniſi praebet humanae imbecillitatis argumentum. Maximum igitur hujus vitae bonum, quod procul dubio in ſanitate conſiſtit, eo modo homines curent, ut illaeſum, quantum fieri poteſt, retineant; ſimulque perſuaſum habeant, quod ſemel amiſſum, vel nunquam, vel ſumma aliquando difficultate recipere valent.

Quod vero ad nos ſpectat, hoc modo in-

ſtitutionem noſtram pertractandam ſuſcipimus. Primo de generali ſanitate, ipſiuſque ſignis verba fient. Ejuſdem inde ſanitatis ſub particulari aſpectu conſiderationem excipiemus. Tandem ea ſubjungere curabimus, quorum applicatione validam eandem reddere, & integram ſervare quiſque valeat.

CAPUT I.

De ſanitate in genere, ejuſdemque phaenomenis.

SAnitas ea vitae noſtrae conditio dicitur, in qua integra manet facultas ſingulis corporis noſtri particulis, ad proprias functiones rite exercendas. Omnes inquam, quae in humano corpore exiſtunt particulae, peculiares functiones exercent, quae licet numeroſiſſimae in primis videantur, optime tamen ad tres claſſes reducuntur. Hinc antiquiſſima inter Medicos recepta earundem diviſio proſtat in *vitales*, *naturales*, & *animales*. Functio *vitalis* dicitur, a qua vita immediatam derivationem agnoſcit, ita ut haec ſine illa nunquam

quam exiſtat. Hujuſmodi v. g. eſt actio cordis, & arteriarum, & reſpiratio. *Naturalis* appellatur, quae materiam corpori ſuppeditat, ac ſuppeditatam naturae noſtrae aſſimilat. Ad hunc cenſum in primis referri poteſt digeſtio, haematoſis, nutritio. Tandem *animalis* functio dicitur, qua noſtri, rerumque extra nos poſitarum conſcii evadimus, ut de ſenſationibus praecipue affirmari poteſt. Ex deſcriptis vero functionibus vitales & naturales omnibus organicis corporibus ſunt communes, quibus idcirco cum vegetabilibus animalia conveniunt. Omnem differentiam animales functiones conſtituunt, quibus ſcilicet vegetabilia omnino, ut videtur, ſunt deſtituta. Porro dum vivimus, perfectaque ſanitate fruimur, ſolae vitales functiones indeſinenter exercentur, nulla longiori quiete interpoſita; naturales vero & animales quandoque ſilent, quin ad vitam optime ſuſtinendam neceſſaria videtur earundem per vices intermiſſio. Hinc ad ſanitatis vitaeque integritatem non perpetua omnium functionum exercitatio, ſed ſola in particulis incorrupta facultas requiritur, qua nempe functiones rite, cum opus fuerit, exerceri valeant.

Id vero primum ex dictis deduci poſſe videtur, quod vitae phaenomena functiones conſti-

ſtituant , quae cum optime proceſſerint , & ſanitatis phaenomena utique evadunt. Quamobrem , cum alicujus rei eſſentia a recta phaenomenorum conſideratione praecipue deduci poſſit, hinc perfectae ſanitatis indicia a bene ordinata corporis compage in primis deſumere debemus (in qua ſcilicet omnium functionum facultas repoſita videtur) inde vero a functionibus ipſis, quae ab illa, ut a proprio fonte manant . Duplici ergo ex capite ea , quam perfecta ſanitas omnino requirit , facultas deduci poteſt , I°. a conſideratione ſcilicet modi , quo particulae a proprio germine extricantur , quemque jam extricatae retinent cum apicem perfectionis ſuae hominis machinatio adepta fuerit, quae quidem conſideratio & a *priori* dici poſſet ; II°. a conſideratione functionum, dum ipſarum fit exercitatio, quae non modo praeſentem, ſed integram facultatem eſſe, utique demonſtrare valent; atque hanc conſiderationem a *poſteriori*, ut ſcholarum ſermone utamur , appellamus . Hac profecto ratione ſanitatis undique quaeſita conditio optime dignoſci poterit , & illuſtrari . .

Integra itaque erit in primis facultas corporis , cum id a Genitoribus ſanis , plena aetate, rara venere utentibus originem nanciſca-

ſcatur ; cum geſtationis tempore Mater nec otio langueſcat, nec animi perturbationibus vexetur, atque unicum in utero foetum alat; cum partus hiemali tempeſtate incidat, ac poſt plenam geſtationem, quae novem integris menſibus in homine continetur ; cum prima vitae periodus, in qua machinae explicatio conſummatur, longiſſima fuerit, ad vigeſimum quintum vel trigeſimum annum producta : praecipua enim Naturae regula in eo conſiſtit, ut omnia, quae ſunt, initium, & ſtatum, & decrementum habeant, ac proinde in tria tempora diſtributa inveniantur, fere inter ſe aequalia.

Hanc, qua nunc detinemur, conſiderationem explet intuitio corporum jam perfectorum. Plena ſiquidem facultas functionis cujuſcunque exercendae exiſtimanda erit, cum peculiaris habitus particulis inſit, quo earundem vigor, tum & recta diſpoſitio facile dignoſcatur. Ante omnia vero ad eam corporis regionem reſpicere oportet, in qua viſcera vitalia conduntur, ac primariam idcirco ſedem ſuam vita repoſitam habet. Thorax igitur amplus ſit & latus, & paullo ad anteriora exporrectus, ut commode ſic in interna ejuſdem cavitate cor & pulmones contineantur, moveanturque. Muſculi abdominales,

A 4 quo-

quorum functio & reſpirationi, & circulationi maximum adminiculum praeſtat, robuſtiſſimi ſint, unde externa abdominis ſuperficies haud giboſa, ſed compreſſa potius emergat. Magnum interea caput, in poſteriori parte praeſertim, adhuc requiritur, quo ſcilicet ampla ſedes cerebro inſtruatur, viſceri ſcilicet nobiliſſimo, praecipuoque univerſarum virium diſpenſatori. Membra inde omnia, omneſque artus, denſa ac toroſa muſculatura tegantur, unde voluminoſiora quidem a carne fiant, non a pinguedine.

Quod ſi hujuſmodi ſtructurae commoda & facilis accedat functionum exercitatio, plenior adhuc erit membrorum facultas, ac proinde ſanitatis conditio perfectior. Porro inter functiones vitales primum ſibi locum vindicat functio cordis, & ſanguinis circulatio, per arteriarum pulſum facile dignoſcenda. Pulſus ergo magnus, & fortis, & aequabilis & coſtans, ac ſumma nonniſi difficultate mutabilis, optimum ſemper indicat vis vitae ſtatum. Reſpiratio praeterea lenta ſit, & aequabilis, & profunda, abſque cujuſcunque generis moleſtia, vel nimia pectoris agitatione. Digeſtio ſit facilis, quam praecedat jucunda ciborum commeſtio, & reficiens, famem ſedans; ſequatur vero alvi excretio dato tempore re-

recurrens, tarda potius & ſicca. Nullus adſit in ore foetor. Urina colorem habeat palearem, cum tenui ſedimento, nec facile corrumpatur, potuique aſſumpto fere reſpondeat. Tarditas ſit potius ingenii, difficiliſque animi perturbatio; ſomnus vero profundus & reficiens. Sudor rarus, in ſummo nonniſi labore apparens, qui nec foetorem habeat nec colorem. Tandem labores facili tolerantia ſuſtineantur, nec facilis a fortuita cauſſa corpori mutatio accedat.

CAPUT II.

De ſanitate in ſpecie, ejuſdemque phaenomenis.

QUae hactenus expoſita ſunt de generali ſanitate maximam mutationem continuo recipiunt a peculiari plurimarum cauſſarum activitate. Praecipua ad ſanitatem temperandam eſt in primis climatum actio. Profecto tam ſenſibilis ab hac cauſſa hominibus mutatio accedit, ut non unicam ab initio, ſed multiplicem humanam ſpeciem fuiſſe, facile cre-

credatur. Quae tamen opinio, etſi a Cl. Viris recepta, obſervatione tamen falſa demonſtratur. Homines quippe a zona temperata in frigidam, vel torridam translati, poſt plurimas generationes, nulla etiam promiſcuitate foedatas, tandem aliquando *Laponum* corrugationem in frigida, vel *Aethiopum* praeuſtum corticem in torrida, nec deſierunt contrahere.

Sed maxima eſt etiam in eadem regione hominum diverſitas, quam perpetua formarum variatio ſenſibilem reddit. Quin admirabilem hanc formarum divitiam prolatam invenimus in ceteris animantium ſpeciebus, tum & in vegetabilibus, ac in univerſa ferme Natura. Haec autem diverſitas ut in externis particulis, ſic etiam in internis fingi debet; nec non ipſam a diverſa elementorum compoſitione primam originem ducere, veriſimile videtur. Formarum igitur varitatio non modo externa & accidentalis cenſenda erit, verum etiam eſſentialis, quae ſane peculiarem naturam in omni individuo conſtituit; unde externae partium variationi reſpondens ſemper inveniri debet interna ſtructura, & facultas, & omnis functionis ratio. Hinc omnia diverſa evadunt in hominibus; etiam morales qualitates, quae quidem cum phyſicis talem nexum conſervant ut ſemper cum illis conſonae

ſonae videantur, ac pari paſſu procedant. Sequitur vero ex dictis, ſingularem cuicunque homini ſanitatem eſſe; nam facultas propriae functioni exercendae, quae ſanitatem conſtituit, in tanta, & tam ſenſibili particularum diſſimilitudine diſcrepans continuo inveniri debet. Hanc veteres Medici *idioſyncraſiam* appellarunt, cui & peculiares appetitus, quibus homines vario modo occupari ſolent, adſcribebant.

Atqui maximam idioſyncraſiae multiplicitatem, quae ſcilicet hominum numero reſpondet, impoſſibile omnino eſt deſcribere; neque ab hoc maximum praeterea valent Ars Medica auxilium colligere. Nam tanta quidem minutia non requiritur; ac ſufficit, ad ea dignoſcenda, quae neceſſaria ſunt, ut generalia perſpecta habeantur, quorum inde applicatione peculiari individuorum indigentiae apprime occurratur. Quapropter ad paucas claſſes ſingularis quaecunque ſanitas reducta fuit, quae ſub temperamentorum nomine antiquitus cognitae ſunt, & modo apud omnes Medicinae Profeſſores etiam veniunt. Omnia vero temperamenta Veteres reducebant ad calidum, frigidum, humidum, ſiccum, phlegmaticum, ſanguineum, cholericum, atrabilare; quorum quatuor prima a corporum qualitatibus, reliqua

qua ab intima eorundem natura, & conſtitutione deducta videntur. Atque hinc patet, in temperamentorum numero, ſic primum a Veteribus definito, forte redundantiam eſſe, quam tollere, & breviati, & faciliori intelligentiae ſtudere, idem videtur. Nam calor & frigus, & humiditas, & ſiccitas qualitates ſunt, quae de ſanguineo, vel phlegmatico, vel cholerico, vel atrabilari temperamento optime dici poſſunt; ac proinde nullam cum his eſſentialem differentiam continent, ſed iiſdem deſcribendis, aliquando fortaſſe inſervire valent. Quamobrem quatuor tantum, quae ultimo loco dicta ſunt, temperamenta admittimus, de quibus aliqua nunc ſubjungere, neceſſarium omnino exiſtimamus.

In cujuſcunque temperamenti hiſtoria non modo phyſica ejuſdem conſideratio a Medicis habita fuit, verum etiam moralis, quae nempe ab animi qualitatibus deducitur. Quandoquidem revera maxima eſſe ſolet vis temperamenti in immutanda animi conditione, ut perpetua obſervatio ſatis ſuperque declaravit. Fateri tamen oportet, maximam etiam in his vim educationis & habitudinis eſſe, quae novam veluti naturam aliquando conſtituit; ita ut difficile omnino ſit, ab animi motionibus veram temperamenti ſpeciem divinare. Hinc tu-

tutius ſemper erit ſingularis ſanitatis, ſive temperamenti phaenomena & ſigna a phyſica conſtitutione in primis deducere. Nam etſi aliquando ab educatione & haec ipſa immutetur, minus tamen cedit, ac naturali conſtitutioni tenaciter ſervandae aptior invenitur.

Sed ut ad rem ipſam proprius accedamus, haec in primis de phlegmatico temperamento animadverſione digna proferimus. Pili rariores ſunt, molles, albicantes; homines vero barbatuli; cutis color palleſcens; habitus corporis tumidulus, mollis; inertia in motu, & lentor, & facilis defatigatio; pulſus parvus & tardior; frigoris ſenſatio dominans. Homines praeterea, hoc temperamento praediti, meticuloſi ſunt, & tardioris ingenii. Pro majori vero vel minori deſcriptarum qualitatum intenſitate, pro ut nempe pallor & glabrities, & tumor, & frigoris ſenſus, & reliqua majora fuerint, vel minora, ſic phlegmaticum temperamentum modo frigidum etiam dici ſolet, modo humidum. Solida molliora debilioraque, fluida vero ſeroſa abundantiora & craſſiora primariam deſcripti temperamenti cauſſam conſtituunt.

Temperamentum ſanguineum hiſce notis praecipue declaratur: facies naturali rubore ſucata, quo in animi motione facile univerſa ſuf-

ſuffunditur , accenditurque ; habitus corporis tumidulus; pili flavi, vel fulvi, copioſi, facile increſcentes; venae amplae, ceruleae, ac copioſo ſanguine turgidae; pulſus debilis, celer, facile mutabilis; ſumma mobilitas, & frequens aeſtuatio; ingenii alacritas; maxima ad iracundiam proclivitas, quam tamen facilis pacatio ſequitur. Cruoris exuberantia cum ſolidorum flexilitate phyſicam hujus temperamenti conditionem ſtatuit. Sed & in hoc aliqua dari ſolet variatio, a qua calidi & ſicci temperamenti conditiones unice deduci poſſunt.

Cholerica, ſive bilioſa temperies illa eſt, quae ſequentia ut plurimum praebet obſervanda. Habitus corporis denſus; color cutis ſubobſcurus; pili nigri, copioſi, plerumque criſpi; ſanguis craſſus & denſus, per robuſtiora vaſa excurrens; hinc pulſus fortis & celer, & magnum motus momentum; parcior ſecretio, ideoque & tardiores excretiones, quae acriores humores ſuppeditant; calor inſignis; matura ingenii facultas; ira facilis & pertinax. Tertia haec eſt temperamentorum gradatio, in qua fluida corporis pars denſior & parcior evadit, ſolida vero firmior, & vigore auctior. Num acrior bilis indoles aliquid & huic temperamento adjumenti erit?

Sequitur tandem temperamentum melancholi-

licum, quod ultimum terminum conſtituit ſiccitatis, qua corpora noſtra quandoque occupari ſinunt. Quandoquidem ingens in primis eſt ſiccitas & macilentia; calor praeterea in cute niger; pili itidem nigerrimi; maxima glabrities; ſumma pulſus & reliquarum functionum tarditas; quaedam in communi ſenſorio immobilitas, quae idearum tenacitatem, tum & cunctationem, & conſtantiam ſatis admirabilem quandoque producit. Hinc melancholici homines ad regenda maximi momenti negotia, quae ſcilicet profundiori contemplatione indigent, tum ad ſcientias promovendas, eas praeſertim, quae maximam obſervandi, vel contemplandi patientiam requirunt, ceteris opportuniores ſemper inveniuntur.

Haec, quae nunc deſcripſimus, temperamenta mixta aliquando & ſimul confuſa apparent. Nam praeter originariam diſpoſitionem, quae ad determinandam temperamenti conditionem primo concurrit, maxima inde ad eam immutandam vis eſſe poteſt in ſexus, & ciborum, & vitae rationis diverſitate. Quin ſenſibilem ut plurimum mutationem in temperamentis aetas producit; ratio enim fluidi ad ſolidum, quae maxima eſt in pueris, increſcentibus annis minor continuo evadit. Quae quidem omnia ſi cum his conjun-

gan-

gantur, quae ſuperius de vi climatis, & animi dicta ſunt, ſatis demonſtrant, non modo ſingulis individuis ſingularem ſanitatem eſſe, verumetiam cuique variam continuo fieri, idque majori vel minori celeritate pro diverſa deſcriptarum cauſſarum efficacia, & applicatione. Id vero Medicis perſpectum omnino eſſe debet, ut in conſervanda, vel reparanda valetudine, ea praeſertim methodo abutantur, quae actuali tantum illius conditioni apta omnino & propria inveniatur.

CAPUT III.

De regulis, quibus firmior valetudo reddi poteſt, & conſervari.

HActenus de generali & ſingulari ſanitate, ejuſdemque ſignis dictum fuit. Nunc regulas proponere curabimus, quarum recta applicatio illam firmam ſemper, ac proinde vitam longaevam reddere valet. Id vero ſub generali *Dieteticae* nomine communiter apud Medicos venit: quam quidem rite applicatam fundamentum vitae incolumitatis ſtatuere,

jam

jam antea a nobis obſervatum fuit. Canones porro univerſae *Hygienes* ab his potiſſimum ſumi debent, quibus vita ſuſtinetur, ac ſub *rerum nonnaturalium* nomine vulgo deſignantur. Sunt autem ſex, *aer*, nempe, *cibus & potus*, *motus & quies*, *ſomnus & vigilia*, *excreta & retenta*, *animi pathemata*. Dicuntur *nonnaturales* cum a natura noſtra alieniſſimae ſint, licet in illam bona applicatione continuo mutari, ac ejuſdem inde partem conſtituere valeant. Antequam vero, quo pacto recta earum applicatio fieri queat, exponamus, generalia praecepta ad firmam valetudinem reddendam exhibere, opportuna res erit.

Nulli dubium videtur, bonam vitae conditionem a modo, quo ipſa in incunabulis dirigitur, ante omnia pendere. De primo autem hoc vitae periodo id moneri oportet, quod apud nos ea potiſſimum, quae a mulierculis ſub diligentiarum & cautionum ſpecie in uſum trahuntur, noxia utplurimum ſint, vitamque maxime debilem reddant, & languore plenam. Experientia vero, quae prima rerum eſt magiſtra, ac optima quae a corporum noſtrorum natura ratio educitur, haſce, quae ſequuntur, ſuadet diligentias. Statim ac mulier peperit, foetum aqua calidiuſcula cum modico vino lavare oportet. Poſtea quotidie

balneum fiat, generale quidem, ex aqua, quae pro anni tempore plus minus frigida eſſe debet, nunquam calida. Infans praeterea ab inquinamentis ſollicite ſemper ſubducatur. Stragulis non opprimatur, dum ſomno cedit, nec in anguſtiori cubiculo detineatur, praeſertim ſi nulla fuerit continenter in eodem renovata aeris perflatio. Poſt ſecundum vel tertium a nativitate menſem quodcunque capitis operimentum tollatur; nec faſciis nimis ſtringendus infans eſt, aut thorace oſſeo, vel ligaturis, cum parum adoleverit. Poſt paucos menſes, firmiori hoc pacto reddita machinula, pedibus ſolutis, ſupra ſolum relinquatur, ut ex ſe, nullo vel parvo adhibito auxilio, motus promere diſcat, & vires eodem tempore citius explicare. Lac matris cuicunque alio praeferri oportet, pappariis per vices exhibitis, quae ſimplicia eſſe debent, primis praeſertim temporibus. Hac quidem ratione tam firma redditur corpuſculi compages, ut nullis inde affectionibus detineatur, quibus frequentiſſime pueri apud nos vexari ſolent. Quod quidem Cl. Virorum teſtimonio, nec non propria experientia ducti audacter affirmamus.

Ad generalia tuendae ſanitatis praecepta pertinent in primis quae *Celſus* habet. *Sanus homo, qui bene valet, & ſuae ſpontis eſt, nullis*

lis obligare ſe legibus debet . . . Hunc oportet varium habere vitae genus: modo ruri eſſe, modo in urbe , ſaepiuſque in agro . Qui enim aequabili vitae genere nimis ſcrupoloſe detinentur, licet optima & ſtabili valetudine plerunque fruantur, facile tamen aegrotant, cum a conſuetudine ſua recedere velint, vel illam quandoque deſerere omnino cogantur . Praeterea, cum nota jam fuerit praecipua temperamenti conditio , id homines ſatagant , ut quae facienda ſunt, illam continuo moderare valeant. In omni enim temperamento diſpoſitio ſemper adeſt, qua quiſque ad peculiares morbos ducitur , ut fuſius in *Pathologia* declarabitur . Idem ergo erit diſpoſitionem illam moderare , ac a morbis praecaveri , & propriam idcirco ſanitatem firmiorem continuo reddere . Hinc quicquid calefacit & roborat phlegmaticis juvat , nocent vero refrigerantia & emollientia. Contra in ſanguineis juvat quicquid refrigerans eſt, ac temperans, nocent quae calorem & rarefactionem augent. In ſanguineo praeterea temperamento, evacuationes optime ferri poſſunt , ſanguineae praeſertim , quae idcirco a Natura ſponte aliquando moventur cum ſanitatis emolumento . Bilioſi maximam pariter opem recipiunt a refrigerentibus, temperantibuſque, tum etiam ab

 hu-

humectantibus. Melancholici autem ſolis nonniſi humectantibus reſtaurantur, & emollientibus, maximumque ipſis damnum inferunt evacuantia, & exiccantia.

Quod vero ad ſex rerum nonnaturalium uſum pertinet, generaliter advertendum eſt, regulam, qua recta fieri poteſt earum applicatio, a bona experientia in primis deducendam eſſe. Ipſius enim ope ſecurius ad ea, quae conferunt, homines ducuntur; licet fateri ſimul oporteat, accuratam quandoque proprietatum conſiderationem plurimum etiam facere ad rectum ſex rerum nonnaturalium uſum in omni vitae & ſanitatis regimine. Atque hinc nuda Medicorum obſervatio, quae ſaepenumero Naturae inceſſum abſque ſublimiori ſpeculatione ſerviliter ſequitur, potior, tutiorque inveniri ſolet, quam theoretica quaecunque diſcuſſio.

In ſex rerum nonnaturalium hiſtoria, ob maximum & omnino neceſſarium uſum in animalium vita ſuſtinenda, primum profecto locum ab aere occupatur. Quandoquidem abſque illo nullimode vivere poſſunt terreſtria animalia; unde merito ab aliquibus aer pabulum vitae appellatur. Multiplex interim ejuſdem titulus extat, quo naturae noſtrae tam neceſſarius evadit. Etenim praeter phyſicam ejuſdem actionem, quae in pondere conſiſtit, & elaſticita-

te,

te, & temperie, quaeque undique corporibus noſtris applicatur; alia quidem eſt, qua reſpirationi inſervit, complicatiſſimae ſcilicet ac primariae oeconomiae animalis functioni. In hac porro aliquid ſemper ſanguis, per pulmones excurrens, ab aere recipit, aliquid a ſanguine recipit aer, perpetua ſic facta commutatione, quae tam vitae eſt neceſſaria, ut praecipuum conſtituat ejuſdem elementum. Conſuli omnino de his debent, quae ſparſim in Chemiae, tum & Phyſiologiae elementis expoſuimus.

Id vero nunc advertere oportet, aerem tot uſibus haud certe unica tantum qualitate deſtinari. Quandoquidem in atmoſphera multiplices ſunt conditiones, phyſicae aeque ac chymicae, quae omnes ſimul concurrunt ad ſpecificam conſtituendam ejuſdem actionem ſupra corpora noſtra. Hinc maxime deceptos eos credimus, qui ſub unico aſpectu aerem contemplantes, id pernoſcere nimia facilitate ſibi ſuadent, quod in illo invenitur vitae neceſſarium. In aere *v. g.* adeſt inter cetera reſpirabilitas. Verum haec haud ſola conditio eſt, quae aerem ſaluberrimum conſtituit; poteſt nanque aer dari alio reſpirabilior, qui tamen micidiali adverſitate hominis valetudinem aggreditur; dum interea minus reſpira-

 bilis

bilis tam vitae infauſtus quandoque non inveniatur. Patet id comparando aerem cubiculi, a quamplurimis abſque renovatione reſpiratum, cum illo, qui aeſtiva vel autumnali tempeſtate in ſtagnantium aquarum vicinia extat. Primus ſane in *eudiometricis* periculis altero reſpirabilior invenitur. Aſt in illo homo ſanus, ſomno cedens, nullo morbo afficitur, in hoc vero irreparabili peſte illico utplurimum vexatus occumbit, vel diu inter extremos languores luctatus ſumma nonniſi difficultate reſtituitur. Quod in primiis ii Medici noſceve debuerant, qui leviter nimis de aeris ſalubritate aliquando decernere auſi ſunt, ſolo *eudiometro*, maxima ceteroquin negligentia adhibito. In hujuſmodi experimentis ſola effectuum obſervatio tutior eſt, quam ideo ſequi oportet, omni alia neglecta. Forte tempus erit, in quo Medicis, diverſimode agentibus, rerum naturam agnoſcere dabitur. Veremur tamen, ne haec, tam felix & jamdiu deſiderata, phyſicarum ſcientiarum epocha remotior adhuc a nobis ſit, quam vulgo creditur.

Sed ut propius ad rem noſtram accedamus, paucis quae de aeris ſalubritate quotidiana experientia docuit exponemus. Ut aer optime cedat hominum ſaluti, qualitates habere debet, quarum aliae poſitivae, aliae negati-

vae

vae eſſe ſolent. Debet nempe in primis eam craſim poſſidere, quae ſapienter a Natura definita fuit, quaeque talis eſt ut in ſalubriori terreſtri atmoſphera $\frac{3}{4}$ circiter ab aere *phlogiſticato* componantur, $\frac{1}{4}$ ab aere *dephlogiſticato*, minimula vero portio ab aere *fixo*. Cum vero ex omnibus hiſce aeris ſpeciebus ſolus *dephlogiſticatus* immediatum uſum in reſpiratione habeat, mirabitur forte aliquis, quod a ſapientiſſimo Conditore non eo modo res in atmoſphera diſpoſitae ſint, ut major quantitas ab aere dephlogiſticato componatur. Et re quidem vera animal in determinato hujus aeris volumine, arte collecto, facilius quam in aere communi vivit, & reſpirat. Verum fortunata haec vita longior nuſquam erit; cum ipſamet vitae alacritas diuturtinati opponatur. Huic enim idem prorſus eveniret ac candelae, quae licet in aere dephlogiſticato vividiorem flammam emittat & quadruplo fere majorem; veruntamen ob expeditiſſimam exuſtionem citius conſumitur. Si vero contrario modo res procedat, ac aeris reſpirabilis quantitas minor continuo fiat, tunc deficit pabulum vitae, ipſaque langueſcit & extinguitur. Quapropter ut nec citius conſumatur, nec languide procedat cum ſpiritus eliſione, ea fieri debebat in atmoſphera craſis, quam experimenta jam

 de-

demonſtrarunt, quaeque idcirco ut precipua habenda erit ejuſdem aeris conditio, ad vitam neceſſaria.

Oportet praeterea, ut aer vitae integritati inſervire optime poſſit, ipſum nullo inquinamento foedari; hoc enim duplici ex capite deſcriptam vitae integritatem laedere valet. Vel enim aeris reſpirabilis quantitatem imminuit, ipſum in dato atmoſpherae volumine rariorem reddendo; vel propria, ſimulque adverſa naturae noſtrae actione operatur, qua quomodocunque applicatum ingentem humanae machinationi vaſtationem inducere potis invenitur. Sed & in hoc diverſi dari poſſunt caſus, quibus varia ſemper redditur ſupra corpora noſtra aeris operatio, quoſque tamen breviter deſcribere, ut recepta methodus requireret, impoſſibile omnino videtur; unde generalia tantum attigiſſe, ſat erit.

Hac porro duplici conditione (quarum prima poſitiva eſt, ac deſcriptam craſim in atmoſphera ſupponit; altera negativa, quae nempe omne inquinamentum excludit) donatur in primis aer campeſtris, ventis leviter agitatus, mediae altitudinis, ſolo incumbens aridulo, vegetabilibus inſtructo, quae tamen perpetuo gaudeant ſolis aſpectu, ab aquis ſtagnantibus non modo immunis, ſed remotiſſi-

mus,

mus, ne ſcilicet ventorum activitate nimis humidus reddatur, vel effluviis conſpurcetur a corruptione aquarum ſuppeditatis. Quae quidem omnia cum in collibus praecipue locum habeant, hinc aer in his locis ſalubrior prae ceteris experiri ſolet. Quo magis ergo a deſcriptis conditionibus aer recedit, eo inſalubrior habendus. Atque ab his principiis regula deducenda eſt, qua & civitates & particularia hominum domicilia collocare oportet; in quibus definiendis optima ſunt quae in lib. *Hippocratis* inveniuntur *de aere*, *aquis*, *& locis*. Speciatim vero advertendum, ut in aedium fabricatione ea potiſſimum poſitio eligatur, quae orientem potius vel meridiem reſpiciat, quaeque optime ſit a ventis perflata, & a ſepulchretis, & cloacis, & ab alia quacunque putredinis ſede remota. In interiori vero habitatione continua fieri debet aeris renovatio, feneſtris ad hunc finem optime diſpoſitis.

Praeter vero generalia haec praecepta, alia ſunt, quibus aer idoneus reddendus ſemper eſt peculiari temperamentorum conditioni: in quibus tamen dictandis ea generalis regula prae oculis habenda, quam ſuperius explicavimus, quamque ab ipſamet temperamenti conſtitutione tantum deducere fas erit. Corporibus nempe ſiccis aridiſque aer convenit, contraria qualitate

te donatus, qui ſcilicet humidulus ſit & vapidus. Hujuſmodi cenſeri debet aer, qui humiliores ſtratus in atmoſphera conſtituit, incubitque ſolo, quod ſylvis, & arboretis abundat. Phlegmaticis vero, inerti ſeroſitate ſcatentibus, aer ſiccus ſeligendus, qui ſublimiores in primis atmosphetae regiones occupat, ac proinde collinarum & montium cacumina, ut ex obſervatis a *D. De Sauſſure*, *& De Luc* ſatis ſuperque apparet. Eodem modo aeſtuantibus frigidulus, frigidis calidulus aſſignandus, ita tamen ut extrema vitentur ſemper. Quin ea prudentia omnia ordinare oportet, quam conſuetudo repoſcit, & peculiaris vitae modus. Nam in his experientia primum locum ſibi vindicat, quae tamen theoreticis principiis aliquando opponitur. Exemplum ſuppeditat aer nativus, qui potior plerumque a Medicis habetur, licet quoad reliqua deterior.

Sed non minori cura ea omnia dirigere oportet, quae ad victum & potum ſpectant. Ab his enim omnis ſtructurae & vitae animalis materia manat; cujus idcirco conditiones immediatam praecipuamque a victu & potu derivationem agnoſcunt. De quantitate vero ciborum id in primis advertendum, ut ipſa robori corporum continuo reſpondeat, ac proinde nunquam abſoluta, ſed relativa ſemper

ejuſ-

ejuſdem conſideratio eſſe debet. Securior eſt regula, quae cuique a Natura praeſcribitur, quaeque à famis ſenſu in primis deducenda; niſi quod hanc Naturae vocem difficilius homines diſtinguere ſolent, qui ſalſuris, condimentiſque palatum irritant, ac naturalem indigentiam cum artificiali peſſime confundunt. Generatim in hoc extrema ſunt ſemper vitanda, inopia enim & largitas aeque nocent. Ceterum id ſemper verum erit, quod in ſobrietate maximum conſiſtat integrae valetudinis & longaevitatis adminiculum, praeſertim cum infirma viſcerum conſtitutio vires aſſimilatrices debiliores poſſideat. Atque hinc prudenter iſ ſe gubernant, qui a paſtu nunquam ſatiati diſcedunt, ſed aliqua ſemper eſurie detenti.

Verum & praecipuam in victu attentionem requirit qualitas ciborum. Alimenta hominibus animalia aeque ac vegetabilia ſuppeditant, a quibus digeſtionis ope ſuccus educitur, in naturam noſtram facile tranſmutandus. Jamdiu a Phyloſophis, & Medicis quaeſtio agitata fuit, num cibus vegetabilis animali praeferri debeat, vel contra. Ipſa tamen inutilis videtur; cum ea, quae ultro citroque adducuntur ad utramque ſententiam tuendam, etſi vera fuerint, nihil tamen demonſtrant niſi opportunam ab utraque ſubſtantia materiam ſuppeditari

tari poſſe, qua corpora noſtra optime reficiantur. Neque huc valet analogia ab animalibus phythophagis & ſarcophagis petita; nam haec utrique ſententiae favet, nullamque idcirco deſtruit, iterumque indicatam quaeſtionem inutilem declarat. Nihilominus ſi medicae conſiderationi locus concedatur, forte cibum animalem opportuniorem nobis eſſe, invenietur; & eo quidem magis quod nec, ut id probetur, experientia deficiat, vel optima ratio. Quandoquidem, eo directa videtur ſuccorum elaboratio, ut ab alimentis tenuis tandem gelatina extrahatur, qua immediata particularum nutritio perficitur. Quapropter opportunior faciliorque cibus ſemper exiſtimari debet, qui ſuccum continet eo modo elaboratum, ut ultimae perfectioni proxime accedat. Id vero de cibo tantum animali dici poſſe, nulli dubium erit; cum progreſſus aſſimilationis in vegetabilibus vix adumbratus inveniatur; qui in animalibus, novae machinationis vires paſſus, perfectior tandem redditur.

Ob eandem rationem fieri etiam debet, ut non omnia vegetabilia aeque diſpoſita ſint ad corpora noſtra optime nutrienda. Bona enim nutritio non modo abundantiorem materiam alimentitiam in cibis requirit, verumetiam optimam in eadem materia diſpoſitio-

tionem, ut quicquid excrementitii continet facile deponat, ac ultimum aſſimilationis terminum pari inde facilitate adipiſcere valeat. Vegetabilia igitur, cum craſſa fuerint & viſcida, licet gelatinoſa alimentitia ſubſtantia ſcateant, inſalubriora ut plurimum experiri ſolent, cum vires humanae machinationis impares plerunque inveniantur iiſdem ſubigendis, ut apta nutritioni reddantur. Saluberrima vero evadunt, ſi fermentationis vires antehac paſſa, congruam praeparationem recipiant, qua quicquid viſcidum eſt & tenax, attenuatur, & reſolvitur, ac eam tandem induere mutabilitatem queat, quae aſſimilationi faciendae omnino eſt neceſſaria. Praecipuum hujus veritatis exemplum ſuppeditant ſemina farinoſa, & legumina; quae quidem inter cetera abundantiori ſcatent materia alimentitia, craſſa tamen & viſcida, quae proinde ſumma nonniſi difficultate in ſubſtantiam noſtram convertitur. Fac vero, ut maſſa triticea azyma, quae ponderoſa eſt, & iners, opportuna praeparetur fermentatione, in panem convertetur, in cibum nempe, qui eodem tempore alimentitia ſubſtantia turget, & facile aſſimilatur. Hinc vegetabilia, quae nullam vel inſenſibilem fermentationem ferre ſinunt, duriſſima experiri ſolent, ut in farina *maiz* ſubacta.

con-

continuo obſervamus. Atque ob eandem rationem fieri etiam debet, ut herbae & mitia poma, in quibus facilis eſt fermentatio, facili etiam digeſtione ſubigantur. Quapropter in victu vegetabili haec ut generalis dieteticae regula haberi poterit, quod nempe facilius prae ceteris digerantur quae fermentationi ſunt proniora.

In his tamen ſepius eo modo res a Natura ſunt ordinatae, ut quae nimis alibilia ſint, aſſimilationi minus diſpoſita inveniantur, & contra. Nam quod alit materia eſt gelatinoſa, qae cum abundans fuerit, craſſa, & denſa plerumque eſſe ſolet, ac proinde fermentationi, nec non aſſimilationi minus diſpoſita. Id modo advertendum remanet, quod fermentatio non pro aſſimilationis cauſſa accipienda ſit, ut forte ex his, quae dicta ſunt, alicui inferri poſſe videbitur, ſed pro indicio tantum mutabilitatis, a qua aſſimilatio pendet, quaecunque demum fuerit ejuſdem natura.

Interea ex dictis deducere poſſumus, ratione aſſimilationis, quam cibi ferre debent, ne inutiles gravioreſque evadant, animales ſubſtantias primum locum occupare, eas praeſertim, quae ſucco ſcatent haud pingui vel nimis gelatinoſo, ſed tenui, & optime elaborato. Inde vegetabilia ſequuntur, quorum tamen

men alia aliis ſunt praeferenda. Quae enim nutribili materia abundant, ac praeparationem a bene directa fermentatione ferre valent, optima ſunt; nam bene enutriunt, nec gravant. Proxime accedunt ea, in quibus fermentatio facilis eſt, licet ob inopiam nutribilis materiae minus feliciter vitam, ejuſdemque vires ſuſtineant. Ultimo tandem loco vegetabilia craſſiſſima recenſenda veniunt, quae ſcilicet terreſtri tantum principio abundant, vel ſuccum gelatinoſum continent, nulla opportuniori praeparatione domabilem, omnique aſſimilationi idcirco ineptum.

Quamvis vero haec omnia talia eſſe videantur ut expoſita ſunt, modus tamen & in his admitti debet, quem excedere, periculoſum exiſtimamus. Aliquando enim convenit, ut ciborum aſſimilatio haud maxima facilitate procedat; terminus quippe adeſt, in quo ſubſtantiarum *animaliſatio* perfectionem ſuam adipiſcit, & in quo tamen non conſiſtit, ſed ultra ſemper ducitur, donec integra obtineatur partium reſolutio. Id praecipue de cibo animali dicendum, cujus facilis aſſimilatio conſumtioni diſponit, ſive ultimae elementorum ſeparationi, ad quam ſponte tendunt omnia organica corpora. Hinc conſervationi noſtrae optime ducit mixtio ciborum anima-

lium

lium & vegetabilium ; nam nimiam illorum aſſimilationem, quae proxima eſt corruptioni, temperat adventus ſubſtantiae vegetabilis, a finali organica corruptione adhuc remotioris. Et contra vegetabilium cruditati auxiliatur facilior ſubſtantiae animalis aſſimilatio. Atque hoc modo diverſa ciborum indoles medium illud temperamentum conſtituere valet, quod naturae noſtrae convenit, ut optime ſuſtineatur.

A generaliori hujus theoriae expoſitione, ea omnia deduci poſſe arbitramur, a quibus forte completiſſimum componi poterit *Dieteticae* ſyſtema; & eo quidem magis, quod experientiae conſonum, nec non ab exquiſitiori humani generis hiſtoria confirmatum facile inveniri poſſe contendimus. Verum uberiora de hoc adducere, vetat, quae nunc premit, temporis anguſtia, tum & elementaris inſtitutionis indoles, quae nihil, praeter primarum rerum lineas, adumbrare permittit. Per ſumma tamen capita aliquid nunc adjungere quod utilius ſit, & ſcitu omnino neceſſarium, haud ſuperfluum judicamus.

Cum omnem differentiam inter cibos vegetabiles & animales diverſa ad aſſimilationem diſpoſitio conſtituat, hac bene intellecta, facilis inde regula erui poterit, qua cuique opti-

optime reſpondens ciborum delectus fieri tandem valeat. Quandoquidem vires aſſimilatrices in corporibus noſtris perpetuo variant pro ratione aetatis, & temperamenti, & habitudinis, quae novam aliquando naturam conſtituit. Prout ergo deſcriptarum virium gradus procedit, ſic diverſorum ciborum illis reſpondens applicatio facienda eſt. Atque in hoc maxime providam Naturam agnoſcere debemus, quae pro ſpontanea quidem, vel acquiſita idioſyncraſia diverſos appetitus excitat. Hiſce vero auſcultare, ſumma ſemper rerum erit, nam voces ſunt Naturae, quae nuſquam vel raro admodum fallit; atque in his ſecuriorem regulam inveniri, pro certo haberi poteſt.

Praeterea id probe advertatur, quod in eadem cibi ſpecie varii dari poſſint mutabilitatis gradus pro diverſa praeparatione, cui aliquando ſubjicitur. In genere aſſimilationis difficultas eo major credenda eſt, quo alibilis ſubſtantia ſpiſſior denſiorque evadit: quod in primis ignis actio efficere utique valet. Hinc aliquando praeparatio, quae igne fit, non modo inutilis, ſed noxia cenſeri debet. Ova *v. g.*, & oſtreae, & alia id genus, facilius cruda digeruntur, quam igne alterata. Idem dicendum de fructibus exiccatis, in qui-

bus nempe craſſior reddita mucoſa materia minus ſe praeſtat aſſimilationi faciendae.

Tandem animadverſione dignum cenſemus, quod non ſemper teneriores cibi digeſtioni aptiores inveniantur, ut vulgo creditur. Teneritudo ſiquidem ciborum nonniſi a tenuitate fibroſi contextus originem ducit, qui viſcidiſſimum ceteroquin ſuccum continere utique valet. Id vero quod in cibis aſſimilari debet non craſſior ſtructura, ſed ſuccus eſt, qui nonnunquam eo tenujor exiſtit, quo durior continens ſubſtantia apparet. Hinc bovum duriſſima caro ſalubriorem (qui ſcilicet facilius aſſimilatur) ſuccum continet, quam alia quaecunque, a tenerioribus animalibus ſuppeditata.

Sed magni ſunt etiam ponderis quae ad potum ſpectant; hujus enim ope non modo materiam corporibus noſtris ſuppeditamus, ſed & vehiculum, quo alimenta fluida redduntur, diverſa miſcentur, ac omnibus ea ſimul craſis conciliatur, quae ipſis convenit, ut aſſimilationi optime cedant. Potus praeterea ſanguinem abluit, ipſumque ab omni inquinamento liberat, quo ineptus tandem vitae functionibus reddi poteſt. Hinc diutius homines famem ferre valent, quam ſitim. Aliunde ſolo potu longius aliquando vitam protra-

hi

hi poſſe, frequentiſſima in noſtris regionibus eſt Medicorum obſervatio. Potus igitur adminiſtratio omnino neceſſaria eſt ad vitam ſuſtinendam; unde inter res non naturales praecipuum locum habet, ac proinde generalia de illo nunc adjungere, maximum operae praetium erit.

Indigentiae, quibus potus ſubvenit, optime in primis ab aqua explentur, quae idcirco ſola praeſtita fuit a Natura, ut cunctis animantibus potui cedat. Verum fateri ante omnia oportet, varios plerunque caſus eſſe, in quibus aqua peculiares qualitates acquirit, quae magis vel minus aptam ipſam reddunt vitae muneribus. Optima vero illa exiſtimari debet, quae ſatis perſpicua eſt, & cryſtallina, nullumque ipſi ineſt opacitatis, etiam leviſſimae, indicium; quae nullum deponit in vaſis ſedimentum, quo haec inquinentur, vel ſupra ſubmerſa corpora lapideam cruſtam; nullum praeterea odorem habet; ſaporem vero vivum, levem, jucundum, refrigerantem; facilem ferre ſolet ebullitionem, in qua tamen nullam opacitatem acquirit; ſumma facilitate ſaponem ſolvit; optime leguminum coctioni inſervit; tandem liquore alcalino fixo inſtillato, nullam vel parvam admodum concipit nubeculam. Hujuſmodi por-

ro aqua optime ſitim ſedat, nullumque pondus in ventriculo epota generat, ſed facile tranſit ad inteſtina, ac pari facilitate reliqua interiora percurrit cunicula. Talis invenitur quae per ſabulum excurrit, ac perpetuo motu agitatur, quo intime cum aere miſceri valeat; hoc enim pacto cujuſcunque generis inquinamentum facile deponit, ac reapſe aerem abſorbet, fixum praeſertim, quo levis & ſapida evadit.

Ob eandem vero rationem inepta exiſtimari debet quae a locis calcareis provenit, excurritque ſupra lectum coenoſum, vel multis ſcateat vegetabilibus, animalibuſque particulis, quae corruptioni illam maximopere diſponant. Omnium vero peſſima habetur quae ſtagnans in lacubus extat, ubi ſcilicet maxima ſit collectio corporum, facili putrefactioni obnoxiorum; nec motus adeſt, quo integrum aquarum volumen agitetur, promoveaturque cum eodem aeris contactus, & mixtio. Haec porro aqua perfectam pelluciditatem non habet, craſſa eſt & ponderoſa, ingratum plerumque exhalat odorem, ſitim non ſedat, nauſeam producit, ac omnimode illi contraria eſt, quam nunc antea deſcripſimus. Omnino igitur hujuſmodi aquae uſum bonae valetudini maxime adverſum eſſe, credendum,

in-

ingenteſque aliquando morboſas affectiones gignendi aptum, ut in *Pathologia* clarius inde patebit.

Ut autem rectius intelligantur quae ad aquae uſum pertinent, advertendum, optimam illius conditionem ab hoc in primis pendere, ut nec calce vitriolata (gypſo ſcilicet, vel ſelenite) abundet, nec materia animali, vel vegetabili extractiva. Illa enim gravem aquam reddit & indigeſtibilem; haec vero putridam & nauſeoſam. Simul vero advertendum, ſolum elementum aquoſum haud ſufficere, ut ſalubris aqua obtineatur; ea enim, quae intra vaſa clauſa ignis ope deſtillatur, puriſſima quidem eſt; verum ſiti extinguendae inutilis experitur, & ſtomaco gravis. Deficit ſiquidem ab ipſa aer, deſtillatione jam diſſipatus, qui tamen omnino requiritur ut ſapida ſit, ac facili digeſtione ſubigatur. Nec inſalubrem aquam reddit craſſamentum alcalinum, quo aliquando aquae potabiles abundant; quin diureticae ab illo fiunt, & omni titulo ſalubres. Hinc probe advertendum, ne nimia facilitate peſſimae judicentur aquae a craſſiori ſimulque abundantiori ſedimento, quod in artificiali evaporatione ſuppeditant; non copia enim, ſed qualitas craſſamenti conſideranda eſt, ut de his recte judicari poſſit.

 Exem-

Exemplum in hac Civitate habemus aquae *S. Petri Martyris*, & ejus, quam *della volla* vulgo dicunt, quarum prima ſaluberrima ab omnibus experiri ſolet, altera minus. Interea ſedimentum, quod ab utraque educitur, magis in prima abundat, quam in ſecunda; hac tamen differentia, quod in illa ex ſale ſolubili alcalino praecipue conficitur, in hac vero a craſſiori terra, quae vix formam ſalinam adepta eſt ab aere fixo. Conſuli de his poſſunt quae olim in *tract.* noſtro de *aquis mineral.* habuimus,

Optime vero ex dictis concludi poſſe videtur, ſalubriores aquas eſſe, quae tenuiſſimae ſunt, ac principio ſimul aereo ſaturae, quaſque idcirco in quotidiano vitae uſu reliquis potiores habere oportet. Sequuntur inde craſſiores, quae ſcilicet hetherogeneitatem recipiunt a craſſiori inquinamento ſalino, maxime deliqueſcente. Salia terreſtria, calcaream baſim habentia, cruditatem aquae conciliant, ineptamque reddunt. Quod ſi inquinamentum a vegetabili, vel animali materia fiat, non modo peſſima aqua redditur ob craſſamentum, verum etiam ob micidialem vaporem, qui a craſſamenti putrefactione provenit, quique longe diverſus eſt ab *aere fixo*, vel puriſſimo, a quo ſaluberri-

ma

ma aquarum indoles potiſſimam ducit originem.

Simul vero ex dictis intelligitur, quo pacto peſſima aquarum qualitas corrigi aliquando poſſit. Omnia enim, quae craſſamenti ſeparationem inducunt, tum & putridae exhalationis diſſipationem, intimamque ſimul aeris admixtionem, optime id ſemper praeſtare poterunt. Hujuſmodi efficaciam in primis poſſidet motus & agitatio, in locis praeſertim; quae aeri externo ſunt expoſita, vel ipſum facile admittunt. Hoc enim modo depoſitio craſſamenti promovetur, eaque obtinetur, quae tam neceſſaria eſt, aeris ſaturatio. Hinc evenit, ut minus quandoque ſalubris aqua, dummodo continuo motu agitetur, atque appoſite aeris libera & perpetua circulatio inſtituta ſit, optima tandem in puteis evadat. Ob eandem rationem fieri etiam debet, ut aqua, quae ex nivis liquatione obtinetur, quaeque omni aere orbata, effoeta & inſalubris experiri ſolet, optimas conditiones acquirat, poſtquam diutius aeri aperto expoſita ſit, ac perpetuo motu agitata. Aliquando tamen juvat etiam ebullitionem experiri, praeſertim cum de putrida aqua agatur; motus enim ebullitionis non modo craſſamenti depoſitionem ad-

juvat, verum etiam fluidorum ſepticorum diſſipationem. Inde vero in largis recipientibus ſub dio reponenda, ut hoc pacto amiſſum in ebullitione aerem rurſus abſorbeat. Atque hinc ratio etiam deducitur, cùr aqua cocta, quae inſipida eſt, & pondus in ſtomaco producit, & difficilem fert digeſtionem, levis fiat & ſapida, & facilioris concoctionis, cum deſcripta methodo aere oneretur. Reliqua, quae huc etiam pertinent, libenter mittimus, ne ſcilicet longius immoremur in his deſcribendis, quae faciliora ſunt, & omnibus nota.

Licet pro communi omni animantium generi potu aqua ſit a Natura conſtituta, homines tamen, arte abuſi, liquores ſibi praeparare, qui inebriant & calefaciunt, auſi ſunt, forte a Naturae methodo nimium recedentes, quae ſimplicior eſt, & corporibus noſtris magis accomodata. Mos autem hic non modo vetuſtiſſimus apud homines invenitur, ſed fere etiam univerſalis; in omni enim aetate, nec non in omni gente, ea etiam quae ultimis hiſce temporibus ſegregata quaſi ab omni conſortio inventa eſt, fermentationis vires vario modo applicatae inveniuntur in praeparatione liquorum ſpirituoſorum. Ita ut pro conſtanti regula aſſumi poſſe videtur, quod ſtatim ac homines in ſocietatem veniunt (etſi adhuc

adhuc recens ipſa ſit & rudis) ac vegetabilia poſſident, in quibus facilis fermentatio excitetur, inſtinctu quodam fere ducti, liquores fermentatos ſibi parant. Quam quidem regulam ab univerſa fere humani generis hiſtoria confirmatam invenimus. Num ipſamet Natura deſcriptum inſtinctum in animo noſtro generat, quo forte aliquid, ejuſdem recreationi proprium, inſtruatur? Equidem maximum quandoque in animi corporiſque defatigatione ſolatium invenitur in moderato inebriantium liquorum uſu. Solus idcirco abuſus vitandus omnino eſt, qui profecto omnia perturbat, inertes vires reddit, ingentem aegritudinem creat, ac quandam veluti humanae dignitatis abjectionem inducit. Sed de his inferius in *Pathologia*. Nunc enim quae ad rectum ac quotidianum uſum pertinent breviter tantum deſcribere, res ipſa requirit.

Sed nec negligi debent, ut rectius valetudo ab uſu vini ſuſtineri poſſit, quae ad peculiares temperamentorum, nec non ejuſdem liquoris qualitates pertinent. In genere advertendum, quod minus apte ſanguinei, & bilioſi vino utuntur; rarefactio enim, & aeſtuatio, quae inde provenit, temperamenti conditionem exacuit, morbiſque diſponit, ad quos ſponte reapſe tendit utraque temperies. His porro

con-

convenit multa aqua dilutum, cum temperans hoc modo fiat & refrigerans, aptamque potionem praeſtet ſiti ſedandae, in ſumma praeſertim aeſtuatione. Frigidis contra juvat, & Phlegmaticis; iiſque qui viſcerum debilitate laborant; & lenta ac inerti digeſtione. Vinum album calculoſis opportunius eſt; & podagroſis, nec non alia quacunque analoga aegritudine vexatis: Facile tamen aceſcit; & molaeſtum in ventriculo acorem aliquando producit tempore digeſtionis.

Optimum in quocunque caſu vinum habendum erit, quod tenue eſt, defaecatum, & cerebri caliginem non tam facile inducens, ut illud experiri ſolet quod ad nos ex Capreis advehitur, vel Stabiis, aut Pauſilypi promontorio. Minus ſalubre habetur quod craſſum eſt, non bene fermentatum, ac vehementiori ſpiritu abundat, ut illud cenſeri debet, quod ad latera Veſevi colligitur. Peſſimum tandem judicamus quod denſitatem non a mucoſitate habet, ſed a craſſiori terra, quae iners illud reddit, & aſprum, & ponderoſum, ut de puteolano praecipue affirmari poteſt. Fateri interim debet, quod licet naturalis muſti conditio haſce qualitates in vino generat, optime tamen ea omnia, quae imperfectum illud reddunt, corrigi valent a bene directa fermentatione. Huic ergo incumbere maxime

xime debemus, & purioris *Zymotechniae* principia vulgariora reddere, ut rectius inter nos procedat vini praeparatio: liquoris nempe ab hominibus uſitatiſſimi, qui ſimul maximam vim poſſidet ad ipſorum valetudinem fovendam, vel omnino infirmandam.

Potiori vero jure mentem ad ea intendere oportet, quae vini adulterationem reſpiciunt, illam praeſertim, quam plumbum efficit. Solent ſiquidem Mercatores, turpi lucro tantum addicti, hoc metallum adhibere, ut vini acorem temperent, ejuſdemque corruptionem impediant; nam facile illud ab acido vegetabili ſolvitur, ac in ſal convertitur; quod acidam fermentationem impedit; ſaporemque ſimul contrahit gratum; & dulcem. Omnibus vero notum eſt, quale venenum ſub dulci hoc ſapore abſcondatur! Haec tamen peſſima adulteratio facile detegitur *hepatis arſenicalis* opera, quod obtinetur ebulliendo mixturam ex uncia *orpimenti* & unciis duabus calcis vivae in aquae lib. per horae dimidium. Colatura, quae limpida eſt, ſervatur ad uſum. Hujus vero guttulae aliquot in vinum infundi debent, quod in ſcypho vitreo continetur, ſimulque obſervandum, an liquoris color obſcurus evadat; id enim plumbum declarat, cujus quantitas re-

reſpondens ſemper invenitur profundiori, quae in mixtura deinceps emergit, tincturae.

Ex vino, ut ex omni liquore, qui ſpirituoſam tantum fermentationem tulit, deſtillationis ope ſpiritus educitur, liquor nempe, vino adhuc tenuior, volatiliorque, & inflammabilis, quo licet quandoque homines abutantur, illum potando, peſſimus tamen cenſeri ſemper debet ejuſdem uſus, ut alibi demonſtrabitur. Maximum contra emolumentum ab aceto quandoque obtinetur, quod a vino praeparatur, nova adhuc fermentatione ſubacto. Ejuſdem cum aqua connubium optimam potionem praeſtat ſubacidam, temperantem, refrigerantem, in calidiori tempeſtate bilioſis praeſertim, & ſanguineis ſumme proficuam, *poſcam* a veteribus dictam. Sed de polychreſta aceti facultate in *Materia Medica* amplior adhuc ſermo redibit.

Inter liquores fermentatos, ob frequentiorem uſum, majoremque delectum, primus vino locus tribui debet. De optima hujuſmodi praeparatione conſuli poſſunt quae in publicis noſtris praelectionibus dictata proſtant. Id tantum hic advertere juvat, quod non omnis fert terra vites, quarum fructus, opportuna praeparatione ſubactus, vinum ſuppeditat.

ditat. Extremus enim calor, ut frigus extremum, vineis nocet, quae proinde in Zona tantum temperata opportunam habitationem inveniunt, ubi feliciter vegetant. Sed nec aequalis in ipſa eſt vini, quod inde colligitur, conditio; nam in calidioribus locis craſſius ſemper eſt, & ſpiritu turgidius, in frigidioribus vero tenujus, leviuſque: tanta eſt climatis vis in praecipuis, quae vino inſunt, qualitatibus! In uſu autem quotidiano primo alterum praeponere oportet; nam minus gravat, & facile fertur; dummodo temporis & induſtriae beneficio illius craſſities optime non ſit caſtigata. In omni vero caſu ſecurior regula eſt, ut nunquam magna copia ingurgitetur; ſola enim moderata quantitas ſatis invenitur viribus reficiendis.

In his terrae regionibus, in quibus vites non veniunt, vel antequam in aliis earundem introductio fieret, alia vegetabilia homines fermentationis viribus ſubjicere auſi ſunt, ut liquores inebriantes ſibi hoc modo pararent. Hujuſmodi eſt *ſicera*, quae ex pomis obtinetur, cui & aliae ſimiles potiones adjungendae, apud diverſas gentes communes. Antiquiſſimam tamen *cereviſiam* credimus, quae, in Egypto primum cognita, inter *Oſiridis* inventa reponitur. Conficitur

ex

ex ſeminibus farinoſis , hordeo praeſertim , poſtquam germinationis primum , inde levioris aduſtionis opera gluten vegetabile ſatis attenuatum fuerit . Hordeum ſic torrefactum, quod *maltha* vulgo dicitur , opportuna trituratione in farinam tandem convertitur. Hanc inde aqua calida lavant, lotioneſque ebullitioni ſubjiciunt, quae deinceps in lacubus repoſitae fermentationem ferunt , additis plantis amaricantibus, *lupulo* in primis , *dauco cretico*, vel ſimili, quarum amarities ſaporem cereviſiae exacuit , ejuſdemque diuturnae integritati favet . Optima nunc praeparatur in Anglia . Sed vino minus eſt calida & ſpirituoſa , quam ideo alicubi potatores aeſtatis tempore ſufficiunt .

His explanatis , quae ad cibum & potum pertinent, ea modo examinare oportet, quae motum & quietem reſpiciunt, quaeque ad vitam ſuſtinendam primario etiam concurrunt , fere ut reliqua , de quibus hactenus loquuti ſumus . Id praeſertim de motu affirmari debet . Quandoquidem vita in motu conſiſtit , ſine quo illa nullo pacto regi poteſt . Motu profecto firmatur corpus , cujus idcirco vires alacriores in iis ſunt, qui vitam exercitatam ducunt, quam in ocioſis. Quin non modo corpori, ſed & menti illius ope vires accedunt. Hinc deſi-

deſiderabile eſſet, ut homines adeo corporum ſuorum exercitationibus ſe addicerent, ut quotidie aliquam non negligerent, quae opportuna ſit, ac proprio vitae generi accomodatior. In his praecipua fuit Veterum applicatio, qui gymnaſticam maxima cura excolendo, firmas vires reddebant, morboſque ſimul amovebant, qui a debili ſtructurae tono originem ducunt. Noſtra autem negligentia hoſce morbos nobis familiares reddidit, qui olim fere nullo pacto cognoſcebantur. Confirmatur id in primis a frequentiori hypochondriacae & hyſtericae affectionis lue (ut aliam quamcunque miſſam faciamus) qua nunc homines vexari ſolent, quamque deſidia in primis, & quae ipſam fovet vecturarum, aliarumque rerum luxuria, nobis familiarem reddidit. Vocari haec ſolent *vitae commoda*, quae tamen reapſe *incommoda* ſunt, cum maximam hominibus inferant labem & aegritudinem.

Plures dantur motus ſpecies, quibus corpora noſtra exerceri valent. Veteres autem quamplurimas agnoſcebant, quas vario modo membris firmandis utiliter aſſignabant. Conſuli de his merentur quae doctiſſime a *Hyeronimo Mercuriali* adnotata ſunt in elaboratiſſimo opere de *arte gymnaſtica* inſcripto. Omnium vero exercitationum illae ſunt aliis praeponen-

nendae, quae univerſam muſculorum compagem, vel maximam ejuſdem partem exagitant, ut curſus, ambulatio, pilae luſus, gladiatura, & alia hujuſmodi. In his tamen modus eſſe debet, ne ingens laſſitudo ſequatur, quae quidem maxime noceret; oportet enim non evertendis, ſed firmandis potius viribus, exercitationem deſtinare. His accedit equitatio, quae reliquis opportunior exiſtimatur, ut ea quae longius protrahi poteſt abſque defatigatione, dum interim omnia bona producit, quae a quocunque alio exercitationis genere ſperare licet. Idem fere dicendum de navigatione.

Sed nec frictio negligenda, quae non modo vires firmat, ſed quandam ſolaminis ſpeciem membris conciliat, dum haec a nimio motu ſatis attrita inveniuntur. Id porro *Celſus* commendavit, &, quod mirum videtur, familiariſſimum nunc etiam conſtituit morem inter *Otaitas*, ut in ſuo itinere relatum invenimus a D. *Cook*. Profecto ingens & nos emolumentum pluries experti ſumus in debili viſcerum tono a repetita quotidie ſupra abdomen frictione. Quae quidem omnia cum ita ſint, facile inde deduci poſſe videtur, maximum valetudinis fulcimentum motum eſſe, quo idcirco homines continuo

uti

uti debent, ut integram vitam ſervent, ii praeſertim qui litterarum ſtudio incumbunt, vel aliis negotiis, in quibus ſedentanea vita ducitur, corporiſque membra otio langueſcunt.

De quiete nihil hic adjungendum habemus, cum ſponte in quotidiano vitae curſu ad ipſam homines properare videantur. Praeterquamquod, dum de contrariis agitur, facile quae de uno dicta ſunt alteri applicantur; quicquid enim poſitivum illi eſt, huic negativum evadit. Quod non ſolum de motu & quiete affirmari poteſt, verum etiam de aliis *rebus nonnaturalibus*, in quibus eadem diſpoſitio locum habet. Sed tempus nunc eſt, ut ad reliqua, quibus completa haec tractatio reddi poteſt, accedamus.

De ſomno & vigilia id in primis adnotare oportet, quod in continua utriuſque viciſſitudine tota contineatur animantium vita. Quod quidem aeterna videtur lege a Natura ſancitum, non modo animalibus, ſed ipſis etiam vegetabilibus communi. Nam licet vitae fruitio in vigilia potiſſimum conſiſtat, in qua nempe omnes interni externique ſenſus prompti ſunt ſemper, & maxima reliquarum functionum pars adhuc integrior eſt, vel alacriori motu adhibita; longius tamen haec

omnia ſine ſomno ſuſtineri poſſe, impoſſibile omnino videtur. Maxima enim in deſcripta totius machinationis contentione fit virium diſſipatio, quas reparare nullo pacto poſſumus, niſi earum functionum ſilentio, quarum ad vitam haud abſoluta eſt neceſſitas. Hoc vero ſilentium in ſomno conſiſtit, quo animalia idcirco in priſtinum reſtituuntur, vitae muneribus exercendis apta. Regulam ergo admittere oportet, ne in re, tam vitae neceſſaria, errores ingruant; ut ſcilicet hoc pacto in animali oeconomia virium annona integra ſemper maneat.

Omnia autem, quae ad ſomnum pertinent, rite determinari poterunt, ſi ad ea animum intendamus, quae ad temporis opportunitatem ſpectant, & diuturnitatem. Atque in his Naturam praecipue ſequi oportet, quae ſponte omnia ſic diſponit, ut nullo quidem opus eſſet praeceptorio, dummodo illi tantum auſcultare homines voluerint, ac prava tandem conſuedine rerum ordinem invertere haud didicerint. Sollemne quidem eſt, ut animalia, laboribus attrita, ſomnus excipiat ad vires reparandas. In ordinario autem vitae curſu horae nocturnae videntur ſomno conciliando opportuniores. Tenebrae enim, & quod ipſas ſequitur ſilentium, omnes amovent ſenſuum illecebras,

quae

quae perpetuam ſenſorio irritationem conciliant, ſomno adverſam. Hinc noctis tempore cuncta animantia quieti parent, quae laſſata membra reficit, ac firmiora reddit, & novis laboribus aptiora. Solis ergo occaſus ut generalis haberi poteſt ſomni denunciatio, ortus vero ut ſignum, quo ab illo exurgere oporteat; quae quidem regula non modo ceteris animantibus communis invenitur, verum etiam integris Nationibus, quae Naturae inſtitutum adhuc integrum ſervant. Hinc intelligitur morum noſtrorum indecentia, dum diei ſomnique horas confundimus, ac ejuſdem Naturae ordinem invertimus; quo circa nil mirum eſſe debet, ſi virium languor, & qui inde peſſimi ſequuntur effectus, tam frequenter apud nos appareant. Equidem ſomnus nocturnus reficit, diurnus delumbat, nec non capitis oppreſſionem producit. Idem fere dicendum de ſomno pomeridiano; niſi quod ab ipſamet Natura quandoque incitatus, tunc admitti debet, cum haud ſufficiens nocturnus fuerit. Brevis tamen ſit, ac eo modo corpus in illo diſponatur, ut commode quidem ſuffultum, erectum potius ſitum obtineat, quam horizontalem.

De ſomni vero diuturnitate nulla generalis regula ſtatui poteſt. Non omnia enim indivi-

dua aeque longiori ſomno opus habent. Diuturnior infantibus convenit, nec non debilioribus, in quibus ſcilicet haud facilior eſſe ſolet virium reſtauratio. Neque in hoc Naturae diſpoſitionem negligere oportet, quae ſpontaneam in illis generat ad ſomnum proclivitatem. Ceterum adultis, ac firmiori conſtitutione donatis, tertia circiter nychthemeri pars, ſomno conceſſa, ſufficit. Tandem id nunc meminiſſe juvat, quod feliciori ſomno maxime conferat diurna corporis exercitatio, tum & animi tranquillitas, & moderata famis ſedatio. Qui deſidem vitam agunt, vel quacunque animi perturbatione vexantur, aut gulae nimis indulgent, vel longiori abſtinentia detinentur, inſomnem profecto noctem ducunt, vel ſuſpenſum nonniſi & perturbatum ſoporem habent.

Cum haec omnia, de quibus hactenus loquuti ſumus, eo modo dirigantur, ut propoſitum fuit, reliqua ad evacuationes ſpectantia optime etiam dirigi poſſe, pro certo affirmamus. Sed ut peculiaria de his etiam adjungantur, advertere in primis oportet, praecipuas evacuationes, quas ferre omnino homines debent, ut nulla adverſa valetudine turbentur, eas eſſe, quae per inteſtina, & vias urinarias, & cutem obtinentur. De omnibus

id

id in genere advertendum, ut in iiſdem modus ſit ſemper, quo nec nimia facilitate, aut difficultate exerceantur, nec ratione quantitatis quidquam admittant, quod excedens nimis ſit vel deficiens. Omnia, quae excernuntur, cum his quae induntur, reſpondentia eſſe, oportet. In hoc enim omnis oeconomiae, nec animali quidem excepta, perfectio conſiſtit.

Ut vero a generalioribus ad particularia accedamus, quae alvinam egeſtionem reſpiciunt in primis conſideranda ſunt. De hac, recta quidem experientia & obſervatione ducti, affirmare poſſumus, quod ſiccitas & tarditas magis hominum valetudini conveniat, quam frequentia & liquatio. Homines novimus (nec exempla rariora proſtant) qui ſingulis quatuor vel quinque diebus alvum deponunt, & tamen recte valent. Id profecto maximum deſignat in viſceribus robur, *viresque retentrices* (ut antiquiori ſermone utamur) validiores. Male igitur ſe gerunt qui inteſtina perpetuo ſtimulo excruciant, alvumque irritant, hac tantum ſuſpicione ducti, quod rebus ſuis alvi ariditas non conveniat, licet nulla adhuc aegritudine afficiantur. Tunc enim ſolum in his ſollicitudo oriri deberet, cum revera digeſtionis tarditas, & inappetentia, & abdominis diſtenſio, & capitis grave-

do, & alia hujuſmodi morboſam ſtipticitatem jam declaraverint . In hoc vero caſu illam catharticis tollere haud convenit, ſed eo modo reliquas res nonnaturales dirigere oportet, ut alvum fluidiorem, ejuſdemque egeſtionem faciliorem reddant. Id in primis efficere valet victus humidior, panis aceroſus, leve corporis exercitium, abſtinentia a vino mero & atro, deambulatio intra cubiculum pedibus excalceatis, leve indumentum. Quod ſi nihil his obtineatur, ad clyſmata confugiendum, quae ſimpliciora ſint, vel levi tantum ſtimulo ſociata. Sponte vero ex dictis deducitur, contraria adhibenda eſſe, cum alvus nimia facilitate excurrat: quod quidem vitium pernicioſius alio exiſtimari debet, ac majori ideo ſollicitudine dignum.

De urinae excretione nihil addendum habemus, cum eo modo in eadem ſint omnia diſpoſita, ut in recta valetudine ſufficiat ſtimulo obedire, quo hujuſmodi egeſtionis neceſſitas indicatur. Omnia vero, quae nimis auctam vel imminutam urinae copiam ſequuntur, morbos revera conſtituunt, quos alibi conſiderare oportet. De cutis igitur excretione nunc aliqua ſubjungenda veniunt; ipſius enim directio in ordinario vitae curriculo non modo ſponte ab interna corporum noſtro-

rum

rum natura derivatur, verum etiam ab externis accidentibus, quae continuo variare poſſunt, atque cutis excretionem vario modo turbare. Çum vero princeps talis excretio ſit, reliquaſque ſimul egeſtiones valde nimis excedat; hinc ſumma cura adhiberi debet, ut integra ſemper procedat, nec ullo quovis pacto interrumpatur. Ea igitur ſumma cura vitanda ſunt, quae peſſimum hujuſmodi effectum inducere valent, a quo nulla fere eſt invaletudinis ſpecies, quae propriam tandem originem ducere non poſſit. Hujuſmodi in primis frigus haberi debet quod externe corpori applicatum, cutis poros intercludit, emunctoria nempe huic excretioni a Natura deſtinata. Hoc igitur arcere homines debent, praeſertim cum aeſtuantes ab exercitio, vel ab alia quacunque cauſſa inveniantur. Potiſſimum vero frigus vitare oportet, quod calori immediate ſuccedit, praeſertim ſi frequens utriuſque viciſſitudo habeatur; nulla enim opportunior cauſſa invenitur ad perſpirationem infirmandam.

Quae de frigore nunc dicta ſunt, madori etiam optime quadrant. Quin hujus vis ad perſpirationem imminuendam majorem ſemper inveniri, quotidiana experientia docet. Quod quidem non modo de naturali atmo-

ſpherae humore dici debet, verum de illo etiam, qui alio quocunque modo corpori applicatus, eoſdem effectus progignere potis invenitur. Aeris vero humiditas non ſemper eadem eſt, nec in omni loco. Ex *hygrometricis* periculis, a D. De *Sauſſure* & *De Luc* inſtitutis, ſatis apparet, in primo noctis adventu, tum & in ultimis ejuſdem horis atmoſpherae uvorem ſenſibiliorem fieri: quod vulgaris etiam apud nos experientia ſatis notum omnibus reddidit. Tunc enim vaporum praecipitatio fieri ſolet, qua novam & ipſi aggregationem acquirunt, eam ſcilicet, quae omnino requiritur, ut ſub fluidorum elaſticorum forma haud amplius exiſtant. Eadem praeterea *hygrometrica* experimenta demonſtrant, in ſublimioribus atmoſpherae regionibus majorem ſemper, ceteribus paribus, ſiccitatem eſſe, quam in inferioribus. Ex quo facilis inde regula deducitur, quam homines, ad madorem vitandum, in continuum uſum revocare debent. Sed in his ſpecialis etiam ſoli conditio ſemper habenda, prout nempe illud magis vel minus vegetabilibus ſcateat, vel aquoſum extiterit; denſiſſimi enim, qui inde proveniunt, vapores in ſaturato jam aere ſenſibilem humiditatem utique producere potis erunt, quae cutis functionem mirum in mo-

modum peſſundat, peſſimaſque affectiones progignit.

Longum ſane foret, ſi praeter hanc generalem atmoſpherae conſiderationem, alia quaecunque peculiaris nunc eſſet facienda, quae omnem aeris ſtatum ratione humiditatis vel ſiccitatis declarandum aſſumeret. Praeterquamquod haec omnia deſcribere, impoſſibile fere eſt, cum infinita propemodum accidentia dari poſſint, a diverſa locorum conditione pendentia, quae humiditati producendae maximam profecto vim poſſident. De his igitur generalia expoſuiſſe ſat erit; & eo quidem magis, quod alibi in morborum *aethiologia* haec omnia rurſus, licet ſub diverſo aſpectu, conſideranda erunt. Id vero nunc praecipuum quidem & omnino neceſſarium advertendum remanet, quod non modo ab aere, verum etiam ab indumentis, quibus corpora noſtra teguntur, maximam humiditatem aliquando venire, indubia res videatur; quae idcirco pari modo maxime perſpirationi obſtaculum, ac adverſae valetudini occaſionem continuo praebent. Nulla interim frequentior ſimulque periculoſior humiditas extat, quam quae pedibus caligarum & calceamentorum ope applicatur. In omnibus autem hiſce caſubus optime ſemper factum erit, veſtes mutare, &

fri-

frictiones adhibere, quibus perſpiratio illico revocetur, liberiorque reddatur. Quin balneum calidum, pedibus in primis applicatum, maxime juvat. Fatemur vero, vim habitudinis plerunque impedimento eſſe, ne quae dicta ſunt faciliter obveniant; ſed fateri ſimul oportet, tandem aliquando deſcriptos effectus experiri poſſe, praeſertim cum imbecilliores homines hiſce ferendis imprudenter exponantur, vel de uvore agatur, qui longo ſatis tempore corpori applicatus, omnem jam penetraverit ejuſdem compagem. Id vero in primis affirmari debet de domu recenter aedificata; in qua quidem praeter vaporis cauſticitatem, a calce ſuppeditati, humida ſemper adeſt aeris temperies, quae nonniſi per annos durat, donec nempe paulatim temporis beneficio internae parietum humiditatis integra diſſipatio fiat.

Maxime interea perſpirationis integritati favet veſtium munditia, lintearum praeſertim, quas quotidie idcirco mutare oportet. Haec ſola eſt luxus ſpecies, quam colere homines debent, cum in ipſa maxime conſiſtat vitae decentia, & ſalus. Ingens profecto malum eſt, idque foediſſimum & multiplex, quod immunditia affert. Nec infrequenter accidit, ut inepte aliis cauſſis tribuantur quae in illa praecipuam originem inveniunt. Haec potiſ-

ſimum

ſimum docent quae ultimis hiſce temporibus relata ſunt ab eximio Navigulatore D. *Cook*, qui in longiſſimo itinere, per incognita adhuc maria inſtituto, omnem ſui comitatum a ſcorbutica peſte integrum ſervavit, hac in primis extrema ſollicitudine abuſus, ut lintea & veſtes ab omni flagitio continuo purgarentur. Potiori vero jure haec omnia iis applicari debent, qui integra haud gaudent valetudine. Atque obiter nunc, hac arrepta occaſione, advertimus, ut non modo veſtibus, ſed domui etiam, & cujuſcunque generis habitaculis perpetuum nitorem conciliare, omne ſtudium reponatur. Peſſima enim quaecunque lues, quae contagio propagari ſolet, inter ſordida domicilia pabulum ut plurimum invenit, quo eundo magna inde fit, & quandoque irreparabilis. Neque ab hac regula Urbes, praeſertim frequentiſſimae, excipi debent, in quibus nempe viae coenoſae, ac omni purgamenti ſpecie inquinatae, gravem vitam reddunt, & infeliciter peſſundant. Profecto hanc vitii ſpeciem pro typo habemus miſerandae hominum incuriae, quae morum inurbanitatem, nec non omnis bonae inſtitutionis defectum ſequitur. Taedet vero, frequentiſſimum hoc opprobrii genus inveniri in pleriſ-

pleriſque civitatibus , quae noſtras provincias paſſim occupant.

Ne vero aliquid reliquum fiat , quod ad graviſſimum pro humanae ſalutis incolumitate perſpirationis argumentum pertinet , pauca adjungemus de veſtium mutatione, quam homines adhibere ſolent pro diverſa aetatis, nec non anni temporis conditione. In genere advertendum , juniores nulla graviori veſtium ſarcina tegendos eſſe , ea praeſertim quae ex pannis laneis conficitur; haec nanque in provectiori tantum aetate , cum vires internae impellentes minores evadunt , ac quaedam corrugationis & duritiei ſpecies in cute producitur, admittenda erit. Nimia ſollicitudo , quam in pueritia praeſertim ſub ſpecioſo cautelarum titulo adhibetur , labilem nonniſi vitam reddit , ac frequentiori aegritudine obnoxiam . Probe praeterea advertendum eſt , ne in tranſitu hybernae tempeſtatis in aeſtivam facilis fiat veſtium immutatio. Non ita vero cogitari debet cum autumni, vel brumae adventus properat . Ceterum tutiorem de his regulam cenſemus, ut in omni tempore peculiari aeris temperiei reſpondens ſemper habeatur corporis operimentum, quod ideo pro illius mutatione levius graviuſque fieri continuo debet. Deſidera-

derabile interim eſt, ut largo ſemper & commodiori veſtimento homines utantur; nimia enim membrorum conſtrictio omnia pervertit, maximumque infert praecipuis vitae functionibus damnum.

Ultimo tandem loco de animi pathematibus pauca adjungenda veniunt, quae inter res nonnaturales communiter etiam referri ſolent. De his igitur ea affirmari debent quae in genere de reliquis dicta ſunt. In primis vero id probe tenendum, quod pari propemodum neceſſitate animi pathemata ad vitam ſuſtinendam requirantur, ac reliquae res nonnaturales, de quibus hactenus loquuti ſumus. Quandoquidem ſine illis ingens inertia homines occuparet, quae ipſos omni activitate deſtitutos, ac truncis ſimiles omnino redderet. Enimvero animi pathemata perpetuum in nobis conatum efficiunt, ut deſideria quibus agitamur, quaeque neceſſario a propria exiſtentia plerunque originem ducunt, continuo expleantur. Male igitur ſe gerunt, qui ad humanam perfectionem obtinendam, omnes paſſiones ſuffocandas omnino eſſe contendunt. Nam hoc facere idem profecto erit ac moralem noſtram exiſtentiam eruere. Omnibus vero nota eſt ejuſdem vis in phyſica corporum noſtrorum conſtitutione, cujus idcirco exci-

dium

dium illius extinctionem omnino ſequi, neceſſe eſt. Animi porro pathemata non ſuffocare, ſed optime tantum dirigere oportet. Hoc enim pacto non modo vitae & optimae cujuſcunque ejuſdem conditioni conſulitur, verum etiam ſublimiorum, quibus homines quandoque dignantur, virtutum unicum ſtatui poteſt principium.

PATHOLOGIA.

His expletis, quae generalem ſanitatis; nec non eorum, quibus firmior ipſa reddi poteſt, hiſtoriam continent, ad *Pathologiam* gradum facimus, ad eam ſcilicet medicarum inſtitutionum partem, quae tota de morbis occupatur. In hac vero id tantum conſiderare, in animo propoſitum habemus, quod generales adverſae valetudinis notiones reſpicit. Omnia, quae nimis ſubtilia ſunt, & ſupervacanea, rejicimus, cum longa experientia ſatis ſuperque nos docuerit, maximam inde confuſionem ab illorum expoſitione tyronum intelligentiae procreari. Sufficit enim, ut ipſi ea ſub limine aſſequantur, quae generaliora ſunt & ſimpliciora, quaeque modum ſuppeditant, ut recte morborum hiſtoria, alibi proponenda, intelligatur.

Dum vero hoc efficere, ſimulque brevitati & facilitati ſtudere curabimus, nullo pacto ea negligere licebit, quae neceſſaria ſunt, ac omnibus numeris abſolutam reddunt hanc, quam nunc proponimus, generalem Medicinae inſtitutionem. Quod tamen vitii genus acceptum

ptum hiſce noſtris temporibus a quibuſdam Pathologis invenimus. Nos autem in hiſce noſtris Pathologiae elementis ea, quae ſequuntur, tradenda habemus, ac eodem fere ordine, quo nunc proponuntur. Explicata igitur primum morbi natura, ſtatim praecipuas ejuſdem differentias enucleabimus. Cauſſas inde adjungemus, & hinc ſymptomata, & ſigna; quae quidem omnia intimam habent relationem cum morbi natura. Morbus enim phaenomenon eſt, quod dum proprias cauſſas agnoſcit, novos etiam producere valet effectus, nec non varia poſſidet ſibi propria accidentia, quibus a reliquis phaenomenis facile diſtinguitur. Praeterea ut *Hygiologia Hygienem*, ſic *Pathologia Therapeuticam* ſociam habet, quam idcirco ab illa ſeparare omnino dedecet. Quamobrem poſt eorum, quae ad *Pathologiam* pertinent, expoſitionem, generales medendi regulas proponemus, quibus ſcilicet res aegrotantium eo modo tractari valeant, ut, cum fieri poſſit, eorum valetudinis integra reſtauratio obtineatur. His tandem eorum notitiam ſubjungemus, quae veluti inſtrumenta Medicinae ſunt, quorum ſane opera Medicis, quod ſibi proponunt, plerunque aſſequi concedatur.

CAPUT I.

De Natura Morbi , & ejuſdem differentiis.

MOrbus generatim conſideratus id intelligi debet, quod ſanitati contrarium & oppoſitum plane eſt. Ea igitur, quae de ſanitate alibi dicta ſunt & morbo optime quadrant, dummodo ſemper negativa particula apponatur. Hac idcirco regula a ſanitatis definitione & morbi definitio recte deduci poterit; quam ideo effictam hoc modo tradimus. Morbus ea vitae conditio dicitur, in qua *haud* integra manet facultas ſingulis corporum noſtrorum particulis, ad proprias functiones rite exercendas. Atque hinc morbus nullo pacto dici poteſt actualis functionis ceſſatio, cum praeter vitales functiones, nulla alia ſit, quae continuo ac nunquam interpellato curſu exerceatur. Si hoc porro eſſet, nullus certe homo integra frueretur valetudine. Non ex eo quia ventriculi *v. g.* functio quandoque ſileat, ventriculus morbo affectus haberi inde debet. Tunc enim ſolum hoc evenit, cum eo modo vitiata manet ejus viſceris facultas, ut digeſtio-

nis tempore ciborum concoctio languida admodum & laborioſa procedat, vel nulla tandem fiat. Idem eſto judicium de aliis particulis.

Ut vero in ſanitatis conſideratione, pro diverſa particularum conſtitutione, ejuſdem varias ſpecies admiſiſſe neceſſarium fuit, quas ſub temperamentorum nomine vulgo a Medicis deſignantur; ſic in morbis evenire debet, quos ideo plurimas differentias recipere a diverſa particularum temperie (quae facultatem propriae functioni exercendae in primis conſtituit) minime dubia res videtur. Quem quidem in utraque morbi & ſanitatis hiſtoria conſenſum perpetuum eſſe, non modo ex his, quae hactenus dicta ſunt, verum etiam ab illis, quae adhuc exponenda erunt, facile cuique patebit. Atque hinc fieri omnino debet, ut hujus tractationis argumentum eadem fere lege connexum tradamus, quam ipſamet rerum natura in *Hygiologiae* expoſitione nobis dictavit. Niſi quod aliqua fortaſſis differentia, quae in primis a rerum copia originem ducere poterit, admittetur. Morborum enim, quae nunc proponitur, diſputatio, quaeque ut praecipuus haberi ſolet a Medicinae Profeſſoribus propriae artis ſcopus, amplior quidem eſt, & accuratiori eget analyſi.

Cum

Cum autem innumerae quaſi ſint particulae, quibus corpora noſtra componuntur, quaeque propriam, & a reliquis diverſam, functionem exercent, ac proinde peculiari facultate donantur; hinc patet, innumeras fere aegrimoniae ſpecies ex hoc capite derivari, quarum ſingulae peculiaris particularum facultatis laeſioni reſpondentes, & congruae fingi poterunt. Verum tanta haec ſubtilitas non requiritur, ut ea Medici perſpecta habeant, quibus utilem quandoque hominibus operam praeſtare queant. Satis profecto erit praecipuas agnoviſſe, quae ſcilicet maximam revera differentiam admittunt, maximamque exquirunt methodi diverſitatem, ut tuto tandem dirigi & ſuſtineri poſſit earundem curatio.

Omnes porro communiter admiſſae a Pathologis morborum differentiae, duplicis generis eſſe ſolent; quarum aliae *eſſentiales* dicuntur, aliae *accidentales*. Illae morbos deſignant, a particularum natura deductos, & hinc a peculiari facultatis laeſione, qua functiones, ſive, ut Veteres dicere ſolebant, actiones, laeduntur, & perturbantur; hae accidentia indicant, quibus externa morborum facies ſatis aliquando diverſa evadit, tametſi eaſdem particulas infeſtet, eaſdemque functiones laedat. Deſcriptam diſtributionem aliae ſubinde

diviſiones excipiunt, quae tamen ſaepius, ab hypothetica theoria expetitae, ſummo videntur arbitrio ſcatere. Verum & quidquam de his ſubdere, haud incongrua res erit, cum conſuetum includant Medicorum ſermonem, quem tyrones noſcere omnino debent. Niſi quod per ſumma capita id nonniſi fiet, ut dum tyronum commodo hoc pacto conſulitur, omnia ſimul, quae ſuperflua ſunt, & vulgaria, vel nimis fortaſſe hypothetica, relinquantur. Quod quidem ſatis eſſe nunc putamus, cum pleniorem eorum, quae ad morbos pertinent, notitiam alibi in Inſtitutionibus Medicinae practicae reſervatam habeamus.

Particulae, quibus corpora noſtra componuntur, ſolidae ſunt, vel fluidae. Hinc morbi *eſſentiales*, quibus illae occupari ſolent, vel ſolidorum erunt, vel fluidorum, vel tandem ex his compoſiti, cum nempe viſcera reſpiciant, & organa, quorum natura ex utriſque formata ſemper fingi debet. Ut autem recte ſolida proprias actiones exercere valeant, determinatum in primis robur habere debent, & hinc elaſticitatem; quae quidem omnia ex determinata oriuntur elementorum aggregatione, ac praecipuam conſtituunt ſolidorum facultatem. Simulatque igitur major vel minor vis aggregationis mutatio-

tionem in naturali robore inducat, quod laeſa facultas evadit, & vel plena fit functionis everſio, vel exercitium laborioſum. Morbus inde ſequitur a nimia rigiditate, vel laxitate adaucta.

Verum alia ſimul eſt in animalibus conſideranda roboris origo, ea nempe, quam vis nervoſa conſtituit, quaeque nullam, ut elaſticitas, ab aggregatione particularum originem ſumit; ſed invenitur tantum dum adhuc animalia vivunt, unde & vis vitae ſolet appellari. Haec porro & nimis quandoque adaucta fieri ſolet, ut in ſpaſmo & convulſione obſervamus, & nimis quandoque imminuta, ut in paralyſi. Unde rigiditatem ſimul & laxitatem morboſam ſolidis particulis ex hoc capite accedere poſſe, indubia res videtur. Ut autem in morbis tam ſimilibus deſignandis, quorum tamen origo tam diverſa eſt, omnis confuſio vitetur, morbus ab aggregatione adaucta, *rigiditatis*, ab imminuta, *laxitatis* appellari poſſet; is vero, quem vis nervoſae augmentum conſtituit, *roboris*, imminutio, *imbecillitatis*.

Huic generali conſiderationi alia accedit, quam ſolida praebent dum peculiari modo ad canales conſtituendos applicantur. Hi namque

 de-

determinatam capacitatem habere debent, & ſimul integram, & uſibus aptam, quae tamen vario modo vitiari poterit, & aliis idcirco morborum ſpeciebus anſam praebere. Ampliatio capacitatis, ſi orificiorum dilatationem inducit, *anoſtomoſis* dicitur; *diapedeſis*, ſi fibrarum, quibus latera componuntur, ſimplicem ſeceſſionem; *diaereſis* vero ſi perfectam rupturam, & ſeparationem. Imminutio capacitatis triplicem quoque caſum includit, *emphraxis* nempe, cum illa a conglutinato ſpiſſiori humore fit; *ſtenochoriae*, vel *thlipſis*, cum a conſtrictione, prout nempe cauſſa comprimens, puta tumor, iiſdem vaſorum parietibus inhaereat, vel externe apponatur; *ſynizeſis* tandem, cum collapſus parietum, ob humorum deficientiam, arctationi occaſionem praebet. Perfectus, qui inde ab his fieri ſolet, canalis coalitus *ſymphiſis* appellatur.

Quod vero ad fluida ſpectat, id in primis advertendum, quod duplici titulo explendae corporum noſtrorum oeconomiae conferunt, determinata ſcilicet quantitate, & qualitate. Hinc omnia eorundem vitia ex duplici hoc capite jugiter deducenda eſſe, apparet. Quantitas porro humorum vel nimia copia vitiatur, vel defectu. Si primum adveniat, quod inde oritur, ſub *plethorae* nomine venit, quam in

in univerſalem , & particularem , tum & in abſolutam , & relativam dividimus . Univerſalis plethora omne reſpicit continentium particularum ſyſtema , quae ideo a copia ſanguinis aeque diſtenduntur; particularis vero aliquam nonniſi ſyſtematis portionem , cum nempe ob peculiare excretionis , vel circulationis offendiculum , ſanguis alicubi colligitur, & exuberat . Hujuſmodi inter cetera exemplum praebet plethora viſcerum abdominalium ab hepatis obſtructione, vel ſuppreſſione menſtruae excretionis . At abſoluta plethora dicitur , cum reapſe fluidorum copia aucta eſt , eadem ſemper manente ſolidorum conſtitutione ; relativa, cum ſolidorum conſtitutio mutatur , eadem manente fluidorum copia . Fieri enim poteſt, ut ſola canalium imbecillitate , vel nimia ſtrictura, effectus inde producantur, qui copiae ſanguinis adauctae tribui ſolent , tametſi nullum haec reapſe augmentum acceperit , imo & aliquando imminuta potius evadat .

Plethorae contraria prorſus eſt *Ceneangia* , quae juxta vocis ſenſum pro vaſorum vacuitate ab aliquibus ſumitur. Rectius vero definiri poteſt vaſorum prolapſus ab humorum defectu ; donec enim animalia vivunt nullus vacuitati intra vaſa locus conceditur . Nota

ſiquidem animalis oeconomiae lex eſt, ut pro fluidi diſtendentis inopia vaſa ſtringantur, perpetuuſque fiat contactus inter continentis & contenti ſuperficiem. Quod ſi aliquando deſcripta obtineatur vacuitas, ut fieri quidem poteſt in magna quacunque & ſubitanea humorum jactura, tunc vel mors ſequitur irreparabilis, vel cito, contractis vaſibus, omne vacuum diſſipatur, ac nulla interruptione circulatio pergit, & vita.

Atqui difficiliora ſunt quae in corporibus noſtris a vitiata fluidorum qualitate derivantur, eumque conſtituunt aegrimoniae ſtatum, quem ſub generali Cacochymiae nomine Medici deſignant. Quae enim ab aliis nimia fortaſſis praeciſione de fluidorum elementis, & mutata eorundem figura, & actione dicta ſunt, abſtractam nimis theoriam redolent, nullamque idcirco ferunt veri ſpeciem. Idem fere de Veterum placitis affirmari poſſe videtur, qui omnem cacochymiam ex praedominio humoris phlegmatici, pituitoſi, bilioſi, & melancholici deducebant; licet fateri oporteat, quod minus arbitrii in Veterum placitis inveniatur, utpote ſenſuum teſtimonio, & externa ſaltem obſervatione ſuffultis, tametſi imperfecta fuerint quae ab ipſis de humorum natura tenebantur. Taedet vero, quod nec adhuc

huc licuerit, de humoribus animalibus plenam cognitionem accepiſſe, etſi quidquam Chemiae beneficio nunc cognoſcatur, quod antea ignotum erat. Hinc quae de vitiata humorum qualitate a Neotericis proponi ſolent, vix aliquid praebent, quo tuto admitti poſſint.

Nihilo tamen ſecius de ſanguine (qui ut praecipua haberi debet reliquorum humorum origo) id generatim affirmari poſſe videtur, quod craſſamento conſtet, in aquoſo vehiculo liquato; idque proportione quadam fieri, ut temperamentum fluiditatis inde exurgat, vitae muniis aptum. Ex quo facile intelligitur, quod hac conditione mutata, aucta nempe, vel imminuta craſſamenti, aut vehiculi ratione, denſior vel fluidior ſanguis evadat, & hinc morbi exoriantur, a nimia fluidorum tenuitate, vel craſſitie pendentes.

Haud praeterea negari poteſt, quod deſcriptum craſſamentum, praeter terram, phlogiſtum etiam continet, & ſalia diverſi generis; quae quidem omnia variant ſaepius & proportione, & peculiari modificatione, quam in his continuo inducere valent vires materiarum ſpontaneae, vel univerſae conſtitutionis. Hinc omnes derivantur *acrimoniae* ſpecies, in quibus ob innumeras profecto gradationes, & ſummopere variatos poſſibiles earundem plexus, intrigatiſ-
ſimum

ſimum labyrinthum includi, facile intuentibus ſit manifeſtum.

Nos vero tres tantum principaliores ſpecies tuto admitti poſſe, autumamus, *acidam* nempe, *ammoniacalem*, & *phlogiſticam*. Ad has porro reliquae redigi valent, vel ab ipſis componuntur. Quandoquidem quicquid ſalis muriatici excedens in nobis evadit, ſtatim ab animali potentia in ammoniacum convertitur; unde nulla locum habere poteſt vera acrimonia muriatica. Idem dicendum de alcalina volatili. Nam alcali a ſola videtur ammoniacalium everſione produci, quam putrefactio tantum efficere potis eſt. Donec vero animalia vivunt ſola fieri poteſt aucta ad putrefactionem diſpoſitio, nunquam vera putrefactio. Haec nanque plenam infert animalis materiae everſionem, quae vitae contraria omnino eſt. Acrimonia igitur, quae vera alcalina dici debet, propria erit cadaverum, nunquam animalis viventis. Non ita vero de acida dicendum eſt, cum non modo in tubo cibario acidi praeſentia ſatis aliquando manifeſta evadat, verum etiam in ſanguine, imo & in humoribus ſecundariis, quibus non alcalina indoles, ut vulgaris antehac ferebat opinio, ſed acida prorſus inhaeret, & quidem diverſi generis, ut chemicis periculis nunc ratum ſatis habetur.

Idem

Idem affirmari omnino oportet de acrimonia, quam phlogiſticam appellavimus. Enimvero phlogiſticum ſanguinis elementum, cujus maxima eſt vis in animalium particularum compoſitione, facile evolvitur, cumulaturque, ac cum idonea deficiat ejuſdem diſſipatio, periculoſiſſimam conſtituit fluidorum ſordem, vitae adverſam, & magnis morbis incitandis ſatis opportunam.

Quod ſi ad organa, ſic proprie dicta, & viſcera reſpicias, quae ex ſolidis fluidiſque particulis aeque compoſita fingi debent, tametſi iiſdem nonniſi morbis occupari poſſint, qui ſolidorum, fluidorumque proprii videntur, quidquam tamen in his conſiderare Medici ſolent, quod morbos continet, proprio titulo, & ſingulari fortaſſe qualitate notabiles. Ratione vero morborum, quibus viſcera occupantur, ſub duplici aſpectu conſideranda & ipſa veniunt, unde ex duplici capite illos deducendos eſſe, ſatis patet. Vel enim ratio haberi debet magnitudinis, & figurae, & numeri, & ſitus, & nexus, quae quidem omnia in viſceribus ſtabili ritu Natura diſpoſuit, dum interim & ſatis quandoque mutari, conſtet, tuncque morbi exorientur, necnon varia monſtri genera, quae mutatae deſcriptarum circumſtantiarum conditioni

omnem

omnem referent acceptam originem ; vel ea potius conſiderare velimus, quae peculiarem reſpiciunt viſcerum integritatem & texturam, vel proprium, quod inde exurgit, componentium particularum temperamentum, tuncque nova & omnino diverſa inde emergere debet morborum ſoboles. Cum porro continui ſolutio fiat, & quidem in duriſſimis particulis, ut oſſa in primis cenſeri debent, *fractura* dicitur, vel *fiſſura*; *vulnus* vero in mollioribus. Quod ſi corrupta ſimul accedat fluidorum temperies, ita ut corroſio inde obveniat, *caries* in oſſibus audit, *ulcus* in carne; *fiſtula* vero, cum de ulcere agatur ſinuoſo, cujus anguſtior ſit apertura, & interna ſuperficies calloſa. Demum ex inordinato fluidorum mòtu, vel facta quocunque modo eorundem irruptione, qua inſolita ſedes ab his occupetur, obſtructio fit, & inflammatio, & omnis inde proveniens earundem ſequela.

Praeter deſcriptas differentias, alias in morborum perquiſitione admittere ſolent Medici, quas, ut ſupra monuimus, *accidentales* appellant. Haſce porro & perpendere haud ſupervacuum exiſtimamus, cum quidquam includant, ad regendam aegrotantium, & Medicorum rationem ſatis aliquando opportunum. Multiplex vero extat earundem titulus, quem per ſumma

capi-

capita nunc tantum conſiderare licebit; quae enim de his ſatis diffuſe a Pathologis adduci ſolent, inutilia fortaſſe erunt, ſimulatque ad complendam medicam inſtitutionem plenior inde ſequatur hiſtoria morborum. Quod quidem revera a nobis ſemper fieri, dum tyronibus in Medicina inſtituendis incumbimus, nota ſatis res eſt, & ab initio jam declarata.

Ad deſcriptas porro accidentales differentias eae quidem omnes referri poſſunt, quae a diverſa cauſſae, & ſubjecti, & temporis, & modi; & indolis, & eventus ratione deducuntur. Hinc morbi dividi ſolent in idiopathicos, & ſympathicos, cum nempe cauſſa parti affectae haereat, vel contra; tum & in haereditarios, connatos, acquiſitos, contagioſos, prout cauſſa in originaria genitorum, quae inde proli communicatur, diſpoſitione conſiſtit, vel foetui, intra uterum adhuc commoranti, applicatur, vel idipſum ob varia accidentia evenit in reliquo vitae curſu, vel tandem a miaſmate ſuppeditatur.

Ratione ſubjecti, morbos univerſales appellamus, cum per omne corpus divagantur, vel indiſcriminatim (eadem manente eorundem indole) hanc illamve regionem occupant; particulares vero, cum determinatam, ſpecialemque par-

particulam affectant ſemper. Epidemici autem dicuntur, qui plurimos eodem tempore aggrediuntur; endemici, qui proprii videntur regionis alicujus, ubi & plurimos infeſtant; ſporadici, qui nulla conſtanti regula ſingula individua vexant, a peculiari cauſſa ſemper derivati.

Ratione temporis, ſive durationis, morbi dividuntur etiam in acutiſſimos, qui cito necant, vel ad quartum diem extenduntur, cum praeſentiſſimo ſemper aegrotantium diſcrimine; peracutos, cum inter maxima pericula ad ſeptimum pertingunt; acutos, ſi ultra progrediuntur, ad nonum nempe, vel decimum quartum, vel vigeſimum uſque diem; chronicos, cum lenta progreſſione longius ab iiſdem tempus abſumitur. Opportunus interea locus hic videtur, ut tyrones moneamus, quod omnem morbi decurſum in quatuor ſtadia diſtributum agnoſcunt Medici: initium nempe, cum morbus leviori utplurimum ſyntomatum apparatu ſe manifeſtare incipit; incrementum, in quo ſyntomata vehementiora continuo evadunt; ſtatum, cum illa acquiſitam vehementiam retinent, & ſimul conſiſtunt; decrementum, in quo vis morbi decreſcit, ipſumque idcirco ad finem jam properare, indicat. Quiſque vero intelligit, deſcripta morborum

ſta-

ſtadia longiora , vel breviora evadere , pro diverſa illorum abſoluta diuturnitate .

Quod ſi & anni temporum ratio habenda ſit , communiter inde exurgit recepta inter Medicos morborum diſtributio in vernales , & autumnales , quibus aeſtivi , & hiemales accedunt , pro deſcriptarum nempe tempeſtatum diverſitate , quarum ſane varia vis eſt in corporibus noſtris immutandis, diverſiſque idcirco inducendis aegritudinum ſpeciebus .

Sed adnotatione dignum praeterea eſt , quod non ſemper eodem modo aegrotantes vexantur in toto morbi decurſu . Hinc orta eſt etiam diviſio morborum in intermittentes, remittentes, & continuos , prout nempe morbus ipſe vel continuo infeſtat, vel vehementiam ſuam per vices ſubinde deponit, vel integre deſerit, ut tamen rurſus eandem reſumat ſtabili plerumque ritu . Quod quidem in febribus praecipue evenire ſolet, in quibus ſingulae deſcriptae ſpecies novas ſubdiviſiones admittunt , ut alibi , cum nempe earundem hiſtoria proponenda eſt , opportuniori occaſione clarius fiet .

Atqui novam quoque diviſionem ſuppeditat indoles, & eventus morborum . Enimvero ratione indolis alii ſunt benigni, qui nempe nullo periculo ſociantur, alii maligni, qui peri-

periculoſiſſimi ſemper exiſtimandi ſunt, quique ſaepius aſſidentes, & quandoque vulgariores etiam Medicos, turpiter illudunt, dum ſub miti aſpectu ingentem revera fovent vim deleteriam. Ratione autem eventus, ſalubres appellari ſolent morbi, quorum occaſione corporum fit depuratio, & hinc firmior emergit valetudo; ſanabiles, a quibus, bona methodo adhibita, evadere quidem poſſunt aegrotantes; inſanabiles, qui nullam auſcultare ſinunt vim remediorum; tandem lethales, qui citam inferunt, vel ſeram mortem, ſemper tamen irreparabilem.

CAPUT II.

De cauſſis morborum.

Cum morbi quidquam reale in corporibus noſtris conſtituant, quo actiones particularum ſenſibili modo laeduntur, ut effectus conſiderari omnino debent, a propriis peculiaribuſque cauſſis derivati. Ut ea igitur expleta fiant, quae ad generalem morborum notitiam pertinent, poſtquam de eorum natura, & differen-

rentiis verba facta ſunt , aliquid etiam de cauſſis nunc ſubjungere neceſſarium erit , ut ſic melius a tyronibus morboſorum phaenomenorum ratio dignoſci valeat.

Ante omnia vero advertere neceſſarium omnino erit , quod generatim nunquam ſubitanea fingi debet morborum generatio; paucis enim caſubus exceptis, in quibus morbus, & mors quandoque ipſa, cito ab externa violentia inducitur , quoad reliqua , lenta quadam praeparatione corpora ad morbos diſponi , indubia res eſt . Dari ergo debet progreſſio cauſſarum , quibus ab initio portio veluti quaedam morbi producitur , quae tandem paullatim , aliis accedentibus cauſſis , integra quaſi evadit. Hinc multiplex orta eſt cauſſarum diviſio , pro diverſo nempe aſpectu , quo illae conſiderari ſinunt. Nos vero ſimplicitati potiſſimum ſtudentes , tria tantum earum genera admittere contendimus, praediſponentium ſcilicet , occaſionalium , & proximarum , cum quibus reliquae omnes , nimia fortaſſis praeciſione ab aliis receptae, facile confundi poſſe videntur.

Cauſſam porro praediſponentem appellamus, quae in originali corporum conſtitutione repoſita intelligi debet. Quae ſane conſtitutio ut idioſyncraſiam, ſive peculiarem ſalutis temperiem,

ſic diſpoſititionem ad morbos diverſos efficit. Ab hac profecto diverſa originali corporum conſtitutione fit, ut non omnes homines iiſdem morbis eodem modo vexari ſoleant, tametſi cetera in omnibus eodem modo diſpoſita inveniantur. Sunt qui cauſſam praediſponentem ab activitate cauſſarum occaſionalium derivandam omnino eſſe, contendunt; ac proinde omnia in morbis occaſionalibus cauſſis referunt, diſpoſitionem nempe, & hinc diſpoſitionis progreſſum, donec ad cauſſam proximam, & morbum ipſum perveniatur. Nos vero, tametſi fateamur, cauſſarum occaſionalium activitate diſpoſitionem augeri, & imminui poſſe, & aliquando immutari, quidquam tamen in animali machinatione agnoſcimus, quo nervorum in primis, & hinc ceterarum particularum ſyſtema ab initio moderatur, quodque ſingulare in nobis conſtituit temperamentum, antequam nulla adhuc explicata ſit activitas cauſſarum occaſionalium. Hinc quae alibi de temperamentorum diverſitate dicta ſunt, huc referri debent; in his enim omnis continetur, quae vera praediſponens morborum cauſſa poteſt appellari.

Ea vero, quae in vita fiunt, & adhibentur, quorum activitate ſolidis fluidiſque particulis mutatio inducitur, ita ut corpora quidquam

quam tandem deponant propriae integritatis, ſub generali cauſſarum occaſionalium nomine facile complectimur. Ex quo fit, ut eaedem cauſſae, quibus vita ſuſtinetur, & ipſam peſſundare queant; & morbos tandem progignere: quae quidem miſeranda omnino videtur animalis vitae conditio. Advertendum tamen eſt, quod cauſſae occaſionales, & praediſponentes, de quibus hactenus ſermo fuit, haud ſatis ex ſe inveniuntur, ut morbum producant. Poſſunt profecto eaedem eſſe abſque morbo. Hinc ſub generali remotarum cauſſarum nomine in ſcholis medicis etiam veniunt, quarum aliae internae dictae ſunt, ac cum praediſponentibus conveniunt, aliae externae & procatarcticae, quae idem fere ſonant ac occaſionales a nobis dictae.

Tandem ex concurſu cauſſarum praediſponentium, & occaſionalium fit cauſſa proxima, ſive ea inſignis particularum mutatio, quae ſenſibile affert in earundem facultate vitium, & hinc notabilem functionis laeſionem, ſive morbum proprie dictum. Quamobrem in morbi generatione hoc pacto res diſponi, tuto fingi poteſt. Datur primum diſpoſitio, quae, cum firmior actione cauſſarum occaſionalium continuo reddita ſit, nullimode ab uſu eorum temperari ſinit, quibus in ordinario

 vi-

vitae curſu ejuſdem propenſioni obſtaculum opponitur. Si nunc porro nova occaſionalis cauſſa accedat, plena evadit diſpoſitio ipſa, & aequilibrium tollitur, quo facultatis integritas antea continebatur; hinc notabilis functionis perturbatio inſurgit, & morbus. Satis vero ex dictis apparet, in cauſſarum catena, quibus morbus inducitur, ultimum anulum a cauſſa proxima occupari. Nil ergo mirum ſi cum hac morbus ipſe confundatur, & illius ablatio ad hunc tollendum omnino neceſſaria a Medicis credatur: qui ſane inter praecipuos referri poteſt proximae cauſſae characteres.

His de cauſſarum natura in genere adnotatis, quidquam de peculiari earundem activitate nunc proponere, neceſſarium omnino erit. Nos vero de ſolis cauſſis occaſionalibus quidquam hic ſubjungere, animo ſtatutum habemus. Quae enim de praediſponentibus dici poſſent, ad temperamenta praecipue pertinent, de quibus in *Hygiologia* ſatis dictum eſt. Ab eorum vero intellectu, quae praediſponentium, & occaſionalium cauſſarum vim reſpiciunt, ſponte inde profluit, & facile intelligitur omnis activitas cauſſarum proximarum.

Univerſae porro occaſionales cauſſae ad res non naturales reducendae ſunt, tum & ad eas, quae

quo-

quovis titulo ingeruntur , vel externe corporibus noſtris applicantur . Inter illas aerem in primis conſideramus, cujus ſane ut maxima vis eſt in vita ſuſtinenda, ſic & maxima eſſe poteſt ad illam infirmandam, diruendamque poteſtas. Id autem experiri ſemper ſolet, cum qualitates ejuſdem; ſive phyſicae fuerint, ſive chymicae, eo modo immutentur, ut animalis oeconomiae uſibus ineptus inde aer evadat. Primum vero de atmoſpherae gravitate, & temperatura perturbata dicemus. Nimia porro aeris gravitas corporibus noſtris oppreſſionem creat , & motus difficultatem ; levitas contra a coercente pondere corpora privat , quo impulſi ab interna vi humores intra vaſa debito modo continentur. Fateri tamen oportet , quod in ordinario vitae curſu nunquam fere homines deſcripta cauſſa ſenſibiliter afficiantur , cum conſueta earundem mora in his terrae locis habeatur , in quibus nulla dari poteſt tam imminuta vel aucta atmoſpherae altitudo , ut maxima inde oriatur, & periculoſiſſima, ponderis variatio . Quae vero ab aliis cauſſis continuo inducitur, nunquam, ex barometricis periculis, eo pervenire poteſt, quo maxima reapſe fiat, & eo quidem modo , ut ingens diſcrimen hinc animalibus paretur.

Non ita vero dicendum de temperaturae mutatione, quae profecto extrema experiri quandoque ſolet, & maximo inducendo detrimento apta. Nimia namque aeſtuatio, pro diverſa corporum diſpoſitione, eadem debilitat, & exiccat, & ſitim creat, & humores rarefacit, & maxime ad alcaleſcentiam diſponit. Stimuli idcirco munere quandoque fungitur, quo febres incitari ſolent, & alia mala. Frigus contra duplici titulo infeſtat; vel enim moderatus eſt, & validam conſtitutionem percutit, vel circumſcriptam tantum ſuperficiem, corporis praeſertim aeſtuantis, tuncque ſtimulantem vim exerit, morboſque inflammatorios enixe ſollicitat; vel modum nimis excedit, & univerſali, nec non continuata applicatione urget, aut debilibus applicatur, tuncque peſſimam vim promit ſedativam, quae vitales vires opprimit, vel perfecta vaſtatione diruit omnino. Hinc torpor inducitur, & ſomnus, & cangraena, & mors ipſa; quae ſane omnia praecipuos conſtituunt frigoris effectus. His vero alii accedunt, qui ex cutis, ſive externae exhalantis ſuperficiei conſtrictione, quam frigus producit, & hinc ex imminuta, vel impedita perſpiratione derivantur, ut gravedo eſt, & tuſſis, & univerſa catarrhorum fami-

familia, & alvi liquatio, & quaevis alia, huc pariter referenda, aegrimoniae ſpecies.

Deſcripta frigoris actio novum pondus acquirit ab aeris motu, quo calidiori atmoſpherae circa corpora frigidior ſubſtituitur; praeſertim vero ſi per rimas id fiat, in quibus novum ſane momentum aeris motui accedere videtur. Haec vero motus aeris conſideratio recta ducit ad hiſtoriam ventorum, quam perfecte noſcere debent Medici, eam praeſertim, quae ex corograghia, ſive peculiari propriae regionis deſcriptione deducitur; hoc enim pacto non modo quid venti valeant, habita ratione momenti, quo ad corpora impetunt, dignoſcitur, verumetiam omnis hinc inducta in atmoſpheram mutatio ab inquinamento, ventorum ope ab una in aliam regionem facile tranſituro.

Verum difficiliora, & adhuc periculoſiora ſunt quae ad chymicarum aeris qualitatum mutationem pertinent. His primum accenſenda videtur humiditas; quam, tametſi ab aliquibus inter phyſicas aeris qualitates repoſitam invenimus, cum tamen vires conſiderentur, quibus utriuſque elementi mixtio & ſeparatio conſummatur, ad chymicas potius referendam eſſe, ſatis patet. Nihil interea tam efficaciter

corpora noſtra delumbat, quam aer humidus, praeſertim ſi calor acceſſerit. Tarditas ſiquidem inde ſequitur in omnibus fere actionibus, in primis nervorum, & maximopere ſimul augetur animalis materiae ad corruptionem diſpoſitio. Quod ante omnia affirmari debet, cum aeris uvor ab exhalatione veniat aquarum ſtagnantium, in quo forte inquinamentum continetur, inſigni virulentia praeditum. Incredibilis enim eſſe ſolet detrimenti ſpecies, quod ab illo recipit humana conſtitutio, quodque aeri inflammabili nunc vulgo adſcribitur. Sed ſpecioſam hanc theoriam, tam feſtive hodie ab aliquibus receptam, recta factorum conſideratio nimis forte ſuperficialem, vel ſaltem dubiam reddit, ut alibi in hiſtoria febrium remittentium opportuniori occaſione clarius patebit.

Nec tutiora ſunt quae de atmoſpherico inquinamento adducuntur, a reliquis aeris ſpeciebus deducto, quibus univerſum ejuſdem atmoſpherae temperamentum continuo perficitur. Nam tametſi aeris deplogiſticati maxima fit jactura in animalium reſpiratione, & in exuſtione corporum inflammabilium, & in alio quocunque phlogiſtico proceſſu, unde & fixi, & phlogiſticati aeris, animalibus infenſiſſimi, ratio augetur; admiranda tamen vis ſimul

ſimul in Natura extat, qua omnis deſcripta jactura cito reparatur, & ſtatim omnia ad priſtinum reſtituuntur conſuetum aequilibrium. Si caſus ergo illos peculiares excipias, in quibus in brevi & conclauſo ſitu, dum jugiter quacunque de cauſſa copioſa mephitis conficitur vel evolvitur, omniſque ſimul vis deficit ut ſubitanea ejuſdem reſtauratio obtineatur, in maximum reapſe venit animalis vita diſcrimen; nullibi ſub dio tamen deſcripta mutatio tam ſenſibilis evadit, ut aliqua functionum perturbatio ſenſibili modo inde ſequi valeat. Haud porro inficiamur, quod felicior fortaſſe vita ducatur dum aerem reſpiramus, nativa proportione optime temperatum; at fateri ſimul oportet quod nullum fere detrimentum inde ab hominibus experiatur, dum deſcripta proportio tollitur, parciori utcunque reddito aere dephlogiſticato. Quod ſane audacter, a perpetua experientia ducti, affirmare non dubitamus.

Idem fere dicendum de alia quacunque inquinamenti ſpecie, quo atmoſphera foedari aliquando valet. Omnia ſiquidem miaſmatum genera tunc porro humanae naturae adverſa evadunt, cum collecta & addenſata ſimul alicubi inveniuntur. Tum profecto humana perſpiratio thyphum generat, tum reliqua con-

contagioſi cujuslibet morbi miaſmata propriam explicant micidialem activitatem. Simulatque vero magno ambienti exponuntur, quod omnis enervata evadit eorundem poteſtas. Quin hoc pacto plenam jugiter obtineri peſtiferae ſobolis extinctionem, ſatis ſuperque continua demonſtravit obſervatio. Ita ut in aere, quo circumdamur, organum potius everſionis, quam vehiculum traductionis morboſi ſeminii Naturam praeparaſſe, indubia res videatur.

Fateri interim oportet, quod tametſi conſiderationes, quas de aere hactenus propoſuimus, aliquid luminis in tam magni ponderis argumento afferant, multa tamen adhuc reſtant ignota, & obſcura, quae inexplicabiles quandoque tricas Medicis pollicentur; ita ut ſaepius quid ab ipſis teneri debeat, nullo pacto definiri utcunque poſſit. Hinc opportuna videtur haec monendi occaſio, ut quae ad aerem pertinent ſola nonniſi obſervatione, & *a poſteriori*, ut dici ſolet, ſint ſtatuenda; nam ſi pauca excipias, quae ad aeris uvorem, & phyſicas proprietates ſpectant, quaeque firmius procedunt, & facile percipiuntur, reliqua omnia a principiis derivari ſolent, quae adhuc ignota ſunt, ideoque & regula moderantur, nunquam *a priori* ſatis intelligenda.

Sequitur cibus & potus, a quo ut omnis natu-

natura noſtra ſuſtinetur , perficiturque , cum ſatis bene dirigitur, ſic peſſimam ſinit quamcunque labem inducere , ſimulac perverſa & inordinata evadit ejuſdem conſuetudo. Id autem duplici modo fieri poteſt , vitio nempe quantitatis, vel qualitatis. Cum vires digeſtrices determinatae ſint, ac proprio diverſorum corporum robori reſpondeant , hinc quantitas ciborum nunquam abſolute conſideranda eſt , ſed relative tantum, habita ſcilicet ratione ſingulorum individuorum . Cum autem revera hac lege aucta ſit, pondus in ventriculo generat , & diſtenſiones , & ſpontanea tandem fermentatione corrumpitur , unde ructus , & nauſea , & vomitus , & alvi liquatio , & aliae gignuntur ſatis aliquanto vehementes affectiones , quibus non modo tubi cibarii , ſed & reſpondentium particularum conſtitutio turbatur.

At multo adhuc vehementiora ſunt quae ciborum defectus producit. Hoc enim pacto non modo materia nutritionis deficit, & vires concidunt , verum etiam nefanda producitur humorum acrimonia, quae cito ad perfectam alcaleſcentiam tendit , & hinc ad omnem oeconomiae animalis everſionem. Recens enim ſuccus , qui a cibis ſuppeditatur , ſanguinem veluti edulcat , eamque cohibet ejuſ-

ejuſdem putrefactionem , quae ultimum ſiſtit termi num , quo tendit *animaliſatio* . Hinc mors tum accedit multo ſane expeditior, quam a ſolo fieri poſſet nutritionis defectu . His accedit , quod maxima difficultas non in repletis corporibus evacuandis, ſed in vacuis tabidiſque reſtaurandis potiſſimum experiatur . Ex hoc capite praeterea ratio praecipua educitur ingentium morborum, qui annonae caritatem ſequuntur ſemper . Id modo advertendum reſtat, quod deſcripti effectus omnem, ut producantur, requirant ciborum deficientiam; illis nanque impediendis , aut ſaltem retardandis , vel parva horum copia ſatis fortaſſe invenietur.

Quae nunc de cibis adnotata ſunt nullam eorundem ponunt vitiatam qualitatem . Ab hac vero novam inde & uberrimam derivari poſſe morborum ſobolem , nemo eſt qui inficiabitur. Perfectus autem cibus is haberi debet , quem ſucci gaſtrici facile ſolvere , viresque fermentantes apte mutare queunt , ut ſic perfecta inde obtineatur ejuſdem aſſimilatio . Hinc qualitas ciborum non ab intrinſeca tantum eorundem natura , quae fortaſſe nota erit, deducenda videtur, ſed & a peculiari ſuccorum gaſtricorum, & virium fermentantium activitate , quae ſane maximam varia-

riationem a temperamentis recipit, tum & a conſuetudine, & a morbis. Nulla ergo generalis regula de his ſtatui poteſt, cum revera quae alteri proſunt, & bona ſunt, alteri quandoque nocent, & noxia experiuntur. Veruntamen cum quidquam & de his generatim ſtatuere opus ſit, forte de intrinſeca tantum ciborum natura fieri poterit; his interea ſemper ſalvis, quae ad ſingulorum individuorum idioſyncraſiam ſpectant. Verum quidem eſt, dari aliquando cibos, qui in omni conſtitutione peſſimam nonniſi saburram ſuppeditant; ſed corrupta & infenſa eorum natura tam late patet, ut facile ab omnibus percipiatur, nec iiſdem homines idcirco abutuntur, niſi extrema maleque ſuada fame compulſi.

Cibus porro viſcidus lentam reddit digeſtionem, ſuccoſque praebet tenaces, unde & ſanguificatio difficilis, & imperfecta evadit, & omnis quae inde ſequi ſolet functionum ſeries vario modo peſſundatur, vel interrumpitur omnino. Facile ſimul ſtagnantes humores evadunt, vel maxima nonniſi difficultate per vaſculorum anfractus ducuntur, unde obſtructio ſequitur, & hydrops, & ortopnoea, & quae ab his varia oboriri poſſunt morborum genera. Nulla praeterea eſt humorum acrimonia, quae a victu acri, nimis nempe

ſali-

ſalito, vel oleoſo, vel aromatico, vel acido, generari non poſſit, quaeque maximam irritationem inducit, & omnes ſcorbuti ſpecies (leviores aeque ac graviores) & vaſorum corroſionem, & fluidorum liquationem, & omnia, quae inde facile ſequuntur maxima oeconomiae detrimenta.

Sed nec negligenda ingens perturbatio, quam digeſtionis tempore deſcripta cibi conditio generat, quaeque in flatulentia ſaepius conſiſtit, & anxietate, & ructu nidoroſo, vel acido plerumque acerbiſſimo, & cardialgia, & vomitu, & colica, & cholera, & alio quocunque vexationis genere. Immo vero haec forte ſunt ſola damna, quae a vulgo haberi ſolent ut penitiſſimi diaetetici erroris effectus; ita ut, cum illa ob peculiare fortaſſis viſcerum robur deficiant, facile quis in animum ſuum inducit, nihil quoad reliqua eſſe timendum. Quod quidem quam erroneum, & perniciosum ſit, ex his, quae ſuperius dicta ſunt, ſatis apparet.

Atqui non minus conſideratione digna ſunt quae ad potum pertinent. Cum porro ejuſdem materia a ſola puriſſima aqua ſuppeditata veniat, nulla forte occaſio erit morboſae mutationis pertimeſcendae. Nec ſalubris aquae exceſſus in ordinario vitae curſu periculoſus

ex-

exiſtimandus erit, dummodo nullum in organis excretoriis ſit offendiculum, quo, impedita lynpharum excretione, hydropicae congeſtionis praeceps occaſio fiat. Sed deficit aliquando aqua, vel peſſimo inquinamento ſcatet, aut fatua habetur; ſaepiuſque homines alias potiones illi ſufficiunt, arte praeparatas. Tunc reapſe potus multiplici titulo potiſſima evadere poteſt cauſſa morborum. Equidem continua obſervatione conſtitit, homines facilius cibi, quam potus defectum ferre. Quin hujus auxilio illius detrimentum minui, indubia res videtur. Quod ſatis profecto demonſtrat, omnem aquae defectum ingentem perniciem ſemper ſequi. Sitis porro tormentum, & faucium ariditas, & oris amarities, & ventriculi inflammatio, & febris, & delirium, & omnis denique everſionis ſpecies, ut immediata haberi debet deſcripti defectus ſequela. Pro diverſa autem inquinamenti ſpecie, quo aqua foedatur, pondus in ventriculo, & languor digeſtionis, & viſcerum obſtructiones facile ſequuntur, praeſertim ſi dum craſſiori terreſtri inquinamento illa ſcatet, nullum, vel parcius contineat aereum elementum. Sed longe periculoſior aqua exiſtimanda erit, cum a materia extractiva vegetabili vel animali putre-

trefacta conſpurcetur ; tunc enim ſeminium continet, quo facile tetra putrefactio per omnes particulas propagari ſinit , maximumque ſic inducitur ſalutis & vitae detrimentum .

Vini vero exceſſus tandem aliquando temulentiam producit, ac perniciosa vi ſedativa omnem fere nervorum actionem peſſundat . Summa idcirco debilitas producitur , qua hydropi , & paralyſi , & apoplexiae corpora ſenſim diſponuntur. Mittimus detrimentum , quod maximum ab eadem cauſſa recipit craſis humorum . Idem potiori jure de ſpiritu vini , & reliquis inflammabilibus liquoribus affirmari debet. Alii praeterea ſunt tituli , quibus nova adhuc vino, & reliquis fluidis fermentatis deleteria vis accedit, tametſi nullus fuerit exceſſus eorundem . Hujuſmodi eſt craſſities , & acor , & imperfecta fermentatio, quibus reapſe congeſtioni morboſae , renali praeſertim , locus conceditur, & acidum in ventriculo producitur, & ingens diſtenſio in omni tubo cibario , ad ruptionem uſque . Quod de cibis affirmari etiam debet , qui & tumultuoſam fermentationem concipere potis ſint , & maximam idcirco fluidorum elaſticorum copiam ſuggerere .

In hiſtoria cauſſarum morboſarum haud negligenda quidem eſt , quae a motus exceſſu prae-

praebetur. Ut enim moderata muſculorum actio vires firmat, ſic aucta iiſdem frangendis maxime valet. Omnes ergo aegrimoniae ſpecies, quae a roboris defectu propriam nanciſcuntur originem, & progreſſum, omnes inquam, hoc pacto generari poſſe, facile patet. Sed nimio praeterea motu fluida atteruntur, & diſſipantur, & novum accedit circulationi incitamentum, quo particulae ſtimulantur, irritanturque, & ad inflammationem diſponuntur. Praecipua etiam motus aucti ſequela macies eſt, & cellularis telae flacciditas, ob pinguedinis liquationem, quae aliquando tam cito fit, ut fuſus inde adeps inſtar olei colligatur in majoribus cavitatibus. Quod quidem maximum oeconomiae detrimentum improviſam necem animalibus quandoque attuliſſe, compertum eſt.

Contraria motui quies ponitur; unde & contrarios effectus ab eadem expectandos eſſe, ipſamet rei natura ſuadet. Hinc tarditas circulationis, & ſuffocatio, & lentor univerſalis, & ingens pinguedinis collectio, & alia hujuſmodi praecipuam conſtituunt otioſae vitae annonam. Veruntamen quidquam datur, quod quietem cum motu finitimam reddit, laxitas nempe, & quae inde ſequitur debilitatio membrorum; unde eoſdem effectus, qui ratione

imbecillitatis motui tribuuntur, & quieti congruere, quiſque agnoſcit.

Generatim quae de motu & quiete dicuntur, de vigilia & ſomno etiam affirmari poſſe, nemo non videt. De ſtatu enim corporis agitur, in quo revera vel notabilis eſt quies muſculorum, vel maxima contentio. Verum & in his potiſſima accedit animalium functionum turbatio, quae ſingularem ſomni, & vigiliae indicare videtur poteſtatem. Caput ſiquidem diuturniori ſomno ſanguine gravatur, & omnis inde hebeſcit animae facultas, & dolor producitur, & ponderis ſenſus, & vertigo, & ipſamet apoplexia. In vigilia vero, cum cerebri functiones nulla interpellatione pergant, irritatio excitatur, qua inflammatio, & delirium, & ipſamet tandem tenerrimae cerebralis texturae conſumptio inducitur.

Ad cauſſas morborum occaſionales accenſenda etiam ſunt vitia excretorum & retentorum. Cum enim multa ſint, quae a corporibus noſtris continuo retinentur, & excernuntur, modus in his dari debet, ut nullum inde accipiat animalis oeconomia detrimentum. Quotieſcunque igitur eorundem inverſio fiat, vel nimia evadat quae moderata eſſe debet retentio, excretioque, maximam hinc ſalutis per-

pertubationem fieri poſſe, nemo eſt qui non videt. Potiſſimum nimiae excretionis effectum ſiſtit infractio virium univerſarum, unde omnes primum functiones infirmantur, & perfecta dein vaſtitate abrogari etiam poſſunt, uſque ad interitum. Facile id patet, cum ſanguinis, & perſpirationis, & urinae, & ſalivae, & materiae inteſtinalis, & ſpermatis, aliorum, nimia feratur diffuſio. Cita enim ſive particularis, ſive generalis functionum proſtratio ſequitur, & omnis tandem vitalis aurae difflatio. Quod ſi contrarium eveniat, admiranda ſaepius inducitur diſtenſio, & ſuffocatio, & oppreſſio, & hinc dolor, & torpor, & perfecta tandem motus interpellatio, & vitae excidium.

Inter omnes vero res non naturales nulla fortaſſe erit, quae animi pathematibus anteponi valeat, dum vitae diruendae, & univerſae corporum noſtrorum oeconomiae diſſolvendae applicatur. Omnia enim animi pathemata immediatam conſtituunt ſenſorii, & nervorum affectionem, praecipuorum nempe, qui in nobis inveniuntur, virium conductorum. Nil ergo mirum, ſi tam inuſitatas, & vehementes concuſſiones corpora noſtra patiantur, ſimulac motus in anima exciteutur, tametſi nec maximi fuerint, vel nimium perſiſtentes. Quaecunque vero ſit *mechanica* paſſio-

 num

num (de qua ſane nihil adhuc novimus , praeter nodum , quo vincta illa manet , & implicata , ab humanae mentis viribus nunquam forte extricandum) id porro certum eſt , quod ab earum tumultu ingens detrimentum univerſae functiones percipiant. Senſus porro hebeſcunt, vox mutatur, circulatio modo crebra , modo tarda evadit, praecordia ingenti anxietate premuntur , fit inappetentia , digeſtio laeditur , opus ſecretionis excretioniſque interpellatur , vires concidunt , ſphincteres laxantur , & alia quidem multa obveniunt pro diverſo pathematum temperamento. Omnia tamen in hoc conveniunt ; quod citiſſimam necem inferant, nulla aliarum cauſſarum activitate praeparatam ; ſimulatque urgentiſſima accedant , & inexpectata. Quod quidem non modo exemplis aliunde petitis , quae haud profecto infrequentia ſunt , verum etiam propria obſervatione ſpectatis , confirmatum accepimus.

Cauſſis occaſionalibus , hactenus deſcriptis , aliae accenſendae ſunt , quae morbis excitandis aptiores forte inveniuntur . Enimvero ſi maximum diſcrimen ab his inferri valet , quae naturam noſtram ſuſtinent , vel facile in eam convertuntur , ut ſunt res non naturales , multo magis idipſum ab his expectari oportet , quae ſemper naturae noſtrae con-

contraria ſunt, ſive interne applicentur, ſive externe. Hujuſmodi haberi debent medicamenta in primis, & venena, quae tametſi diverſa credantur, revera tamen eadem eſſe, ac eodem modo operari, indubia res videtur. Omnem differentiam major, vel minor actívitas conſtituit, quae non modo a nativa illorum conſtitutione pendet, verum etiam a diverſo machinationis robore, quo vis eorundem frangi aliquo modo poſſit, vel extenuari. Hinc ſaepius evenire ſolet, ut limites utrorumque facile confundantur, ac eadem materia modo medicamenti, modo veneni vices gerat. Varia doſis, & praeparatio, tum & peculiaris morbi, vel temperamenti conditio, deſcriptam diverſitatem aliquando inducere, potis utcunque invenitur. Actio igitur eorum morboſa intelligi debet, cum nullo pacto a viribus corporum noſtrorum ſubigi valeat, ac integra idcirco manens, omnium particularum craſim diruere, omneſque functiones evertere, apta omnino evadit.

Eorum vero, quae externe applicantur, inſenſa vis experitur, cum vel chymica activitate gaudeant, ut ſola applicatione materiae animalis vaſtationem inducere potis ſint, vel mechanico impetu ferantur, quo ſolutiones, & fracturas, & contuſiones, & alia vitiorum ge-

genera, apta ſint excitare. Ad prima referri debet ignis, & univerſa cauſticorum ſoboles; altera vero excipiunt corpora dura, acuta, valide mota, vel preſſa, & hinc ictus & lapſus, & reliqua hujuſmodi externarum injuriarum genera.

CAPUT III.

De Morborum ſyntomatibus.

OMnia, quae in Natura ſunt, dum propriam ferunt a peculiari cauſſa originem, cujus habita ratione nil praeter effectum indicare videntur, & aliorum ſimul derivationi inſerviunt, ac cauſſarum idcirco munus aſſumunt. Quod ut de aliis, ſic de morbis affirmari poſſe, nulli dubium videtur. Quicquid vero a morbo derivatur, ut effectus a propria cauſſa, ſub generali ſyntomatis nomine apud Medicos venit. Quamobrem quae in aegrotantium corpore phaenomena apparent, omnenque propriam a ſtatu morboſo derivationem ſumunt, ſyntomata appellari debere, quiſque agnoſcit. Niſi quod pro varia peculiari origine,

gine , quam iiſdem Medici aſſignatam fingunt, & varias ſyntomatum ſpecies dari poſſe; communiter receptum eſt. Hinc datur ſyntoma morbi, cum a morbo ipſo immediate producitur; ſyntoma cauſſae, cum haec, praeter morbum, & quidquam aliud , ab hoc diverſum, generare potis ſit; tandem ſyntoma ſyntomatis , quotieſcunque de phaenomeno agatur , quod nec a morbo, nec a cauſſa, verum ab alio peculiari ſyntomate praecipuam originem ducit. Febris *v. g.* eſt , quae a ſaburra bilioſa , in ventriculo ſtabulante , viriumque oppreſſionem inducente, excitatur . Adeſt ſimul oris amarities, calor, ſitis, reliqua. Febris eſt morbus ; cauſſa excitans ſaburra bilioſa ; quae vero ultimo loco indicata ſunt , ſyntomata . Horum vero oris amarities eſt ſyntoma cauſſae, cum eadem bilioſa ſaburra, quae febrem excitat , & exhalatione ſua materiam praebet oris amarori . Calor eſt ſyntoma morbi , cum a motu febris immediate producitur. A calore vero, quo humor diſſipatur, & faucium ſuperficies areſcit, ſitis originem trahit, quae idcirco ut ſyntoma ſyntomatis haberi poterit.

Fateri tamen oportet, quod in his ſaepius compoſitio , & arbitrium Medicorum locum habere poſſit. Enimvero datur aliquando ſyntoma

toma, quod a cauſſa morbi *v. g.*, & ab alio ſyntomate ſimul producitur. Tunc porro ſi duplex origo ſimul conſideratur, ortum inde ſyntoma compoſitum erit; ſi vero ſeparatim, modo ſyntoma cauſſae, modo ſyntoma ſyntomatis appellari poſſe, ſatis patet. Hujuſmodi exemplum ſiſtit ſitis, quae in ſuperius deſcripta febre non modo a calore, ſive a morbi ſyntomate, verum etiam a ſaburra bilioſa, ſive a cauſſa morbi, immediatam originem ducere poſſe, ſatis norunt in Arte noſtra Periti. Poteſt ergo ſitis & ut compoſitum ſyntoma haberi (quatenus duplex principium agnoſcit), & ut ſyntoma cauſſae, tametſi ſuperius ut ſyntoma ſyntomatis conſiderata etiam fuerit.

Praeter deſcripta ſyntomata, alia a Pathologis conſiderari ſolent, quae epigenomena dicuntur, ſive ſupervenientia. Sunt vero ea morboſa accidentia, quae nullam cum morbo relationem habent, ſed oriuntur ob peculiaris cujuſcunque cauſſae interventum, quo nova veluti affectio inducitur. Tuſſis *v. g.* catarrhalis, ictero ſuperveniens ob frigus ſuſceptum, ſyntoma erit epigenomenon icteri. Id tamen obſervare oportet, quod tametſi nulla proxima ſit relatio inter morbum, & deſcriptum ſyntoma, aliqua tamen remota in-

ter

ter utrumque admittenda ſemper videtur. Nulli enim dubium, quod corpora aegrotantium, ceteris paribus, proniora a praeſente jam morbo fiant novis morbis ferendis, ſive epigenomenis ſyntomatibus; quae aliunde, cum ſemel ab activitate cujuſcunque cauſſae producta fuerint, non deſinent aliquam ſaltem exacerbationem anteriori morbo aliquando inducere.

His adnotatis, quae ad generalem ſyntomatum doctrinam pertinent, peculiarem illorum hiſtoriam nunc exarare deberemus, ut conſuetus eſſe ſolet mos Pathologorum. Verum, ni errore ducimur, quidquam in hoc invenimus, quo deſcriptum inſtitutum erroneum, vel ſaltem inutile nobis videtur. Enimvero communiter, hac arrepta occaſione, non morborum ſyntomata, ſed morbos ipſos deſcribere ſatagunt. Peculiaria vero ſyntomata recenſeri, ignoto adhuc morbo, non poſſunt; morbum vero ipſum deſcribere, hic loci non eſt, cum ſerio id excipiant Medicinae practicae inſtitutiones. Quamobrem generalia tantum nunc expoſuiſſe, ſat erit. Reliqua, quibus plena continetur morborum, & ſyntomatum explanatio, quibuſque tyrones, nulla confuſione, quae neceſſaria ſunt optime percipere valeant, alibi reſervata habemus.

CA-

CAPUT IV.

De Signis morborum.

CUm morbi quidquam ſemper conſtituant, quo ſenſibiliter corporum noſtrorum actiones laeduntur, neceſſario hinc ſequi debet, quod eaedem laeſae functiones, attente conſideratae, & perceptae, indicia evadunt, quibus de illorum praeſentia, & diſcrimine, rectum ferri poteſt judicium. Deſcripta porro indicia ſunt, quae ſub ſignorum nomine in Medicina etiam veniunt; unde & quae circa ipſa verſatur tractatio, *Semiotica* dicta eſt. Utillimam haec ſiſtit Medicarum Inſtitutionum partem, & omnino neceſſariam, ut ea, ſine qua nullus Clinicae patet aditus. Vulgariſſimum enim, idque veriſſimum, habet Medicina effatum, quod *cognito morbo, facilis curatio*; morbus vero per propria nonniſi ſigna recelatur, propalaturque. Si pauca interim excipias, quae forte nova habentur, omnia quae in Semiotica ſunt, *Veterum* induſtriae debentur, quorum maxima quidem ad haec illuſtranda fuit ſolertia. Cum igitur ad noſtrum inſtitutum explendum quaedam generalia de ſignis hic etiam proponere, ipſa-

ipſamet rei ratio expoſtulet, ad Veteris Medicinae monumenta confugere omnino opus erit. Hoc enim pacto, ſi quid tutum eſt, & optima experientia confirmatum, hic inveniri poſſe, audacter affirmamus.

Omnis interea, quae Medicos conſideratio tenet, dum homines adverſa valetudine vexantur, vel morbum praeteritum reſpicit, vel praeſentem, vel futurum. Hinc triplex datur ſignorum genus, quorum alia anamneſtica dicta ſunt, alia diagnoſtica, alia prognoſtica. Haec vero omnia a diverſo aſpectu, quo res morborum conſiderari ſinit, propriam derivationem accipiunt. Morbi namque cognitio ſecum ſemper trahit ideam cauſſarum, quibus producitur, ſimulque effectuum, qui ab eodem derivari poſſunt. Praeſentes porro effectus, morbum praeteritum, ut propriam cauſſam, praeſentes cauſſae morbum futurum, ut proprium effectum, indicabunt. Unde fieri quidem poteſt, ut a ſola actuali aegrotantium conditione conſiderata, quid fuerit, vel futurum ſit, optime determinari valeat. De morbo autem praeſente dignoſcendo, in quo nullam a Medicis ſpecioſam divinationem vulgus expectat, res facilius patet, & intelligitur.

Ut autem ab expoſito generali principio par-

particularis ſignorum natura intelligatur, quid de ſingulis teneri oporteat, nunc declarabimus. Signa anamneſtica ſunt, quibus a praeſenti ſtatu morbus praeteritus dignoſcitur. Hinc male apponuntur ii, qui deſcripta ſigna ex conſideratione ſtatus praeteriti deducta effingunt, quo morbus praeſens tutius internoſci poſſit. Haec enim ad dignoſtica potius deducenda eſſe videntur, ut inferius patebit. Nec ſupervacaneum nunc erit advertere, quod admiſſa ab initio ſignorum varietas non eorundem, ſed morborum diverſa tempora reſpicit. Atque hinc merito anamneſtica ſigna a nobis dicta ſunt non quae praeterita habentur, ſed quae praeteritum morbum indicant. Deducuntur vero a reſidua adhuc particularum, nec non facultatis earundem laeſione. quae ut effectus haberi debet morbi tranſacti, ipſumque idcirco declarant. Sic foſſulae, quibus paſſim deturpata cutis obſervetur, ſignum variolarum anamneſticum conſtituunt; cicatrix vulneris, vel abſceſſus; paralyſis apoplexiae; abnormis oſſium tumor rachitidis, & ſic porro de reliquis.

Contrarium anamneſtico eſt ſignum prognoſticum, quo nempe futurus ſtatus praenunciatur. Deducitur ab actuali morbo, ut cauſſa conſiderato, qui cum determinatos ef-

fe-

fectus progignere potis ſit, hoſce idcirco indicat ſemper, dummodo haud quidquam a natura, vel arte operetur, quo ejuſdem vis nulla propemodum evadat. Eo ſiquidem pacto ſunt res in corporibus noſtris conſtitutae, ut omnes inter ſe invicem ſtatuta ſemper lege reſpondeant, ita ut cum aliquae dentur, alias neceſſario ſequi debere, oportebit. Ab hoc autem fonte praecipue inde hauritur doctrina prognoſticorum. Simulatque igitur deſcripta conſenſio agnoſcatur (quod quidem a bene intellecta re phyſiologica, ac pathologica potiſſimum obtineri poteſt) omnis inde jam cognita ſequela praevidebitur. Vehemens, & profundior inflammatio ad ſuppurationem tendit. Illa ergo ſignum erit ſuppurationis prognoſticum.

Tandem diagnoſtica ſigna ſunt, quibus praeſens morbus dignoſcitur. Petuntur vero non modo a praeſentibus ejuſdem morbi ſyntomatibus, verum etiam a cauſſis praecedentibus cujuſcunque generis optime perpenſis. His enim omnibus ſimul collatis, perfecta comparari poterit praeſentium morborum notio. Hinc Medicus dum primo ad aegrotantem accedit, de antecedenti vivendi ratione inquirere debet, res potiſſimum non naturales examini ſubjiciendo; dein reliqua, quae praeſentem ſtatum

cor

conſtituunt, eadem diligentia ad trutinam revocabit, ut ſic nihil quidquam negligatur, quo res, plerumque difficillima, optime declarari valeat. Id vero ſaepius haud primo intuitu fieri poſſe, pro certo habemus, ſed opus eſt, ut repetitis vicibus idem examen inſtituatur, quo tandem recta inſtitui valeat morbi diagnoſis, & quae inde ſequi debet curatio. Hinc patet, quam male ii ſe gerant Medici, qui turpem inſcitiae notam ſibi polliceri credunt, niſi unico obtutu implicatiſſimam rem propriis oculis haud explanatam fateantur. Quod ſane ridiculum omnino videtur, maximumque ſaepius praebet impudentiae, & audaciae argumentum, humanae ſaluti nocentiſſimum.

Epitheton ſigni diagnoſtici eſt pathognomonicum. Sic autem appellatur ſignum morbi proprium, & inſeparabile, quo tuto ſemper ille & agnoſci, & ab omni alio diſtingui poteſt. Optima ſane eſt hujuſmodi ſignorum ſpecies, & Medicinae faciendae opportuniſſima, ſed maximo hominum infortunio rariſſima ſimul. Nam ſi unum vel alterum excipias, reliqua, quae habentur pathognomonica ſigna, non ſimplicia ſunt, ſed compoſita ex ſyndrome plurium ſignorum. Quodcunque ex his, ſeparatim conſideratum, morbum haud deſignat;

gnat ; omnia vero ſimul concurrentia ſignum pathognomonicum conſtituunt, morbumque ſic declarant. Patet id exemplo pleuritidis, in qua dolor lateris pungitorius, febris inflammatoria, tuſſis primum ſicca, inde humida, ſignum conſtituunt pathognomonicum. Quodcunque ex his, cum ſolum conſideratur, morbum certe denotabit, pleuritidem vero haud quaquam. Haec vero omnia ſatis demonſtrant, maximam difficultatem ſemper inveniri in morbis deſignandis ; periculum eſt enim ne diſcrepantia & multiplicitas ſignorum, quibus pathognomonicum componitur, confuſionem pariat, omnemque auferat perſpicuitatem, quae in diagnoſi neceſſaria deſideratur.

His de generali ſignorum diviſione adnotatis, quaedam generatim de eorundem ſignificatione nunc ſubjungere opus eſt. Enimvero tametſi hujuſmodi ſignificatio ad peculiarem morborum hiſtoriam pertinere videatur, quidquam tamen & in ea continetur, quod morbos in univerſum reſpicit, atque ad generalem ideo ſemioticam redigendum eſſe, facile patet.

Praecipuos ſignorum fontes in morbis ſuppeditant principaliores actiones, ſive naturales fuerint, ſive vitales, ſive animales. Has ergo

ergo attente conſiderare oportet, una cum laeſione, quae in iiſdem conſpicienda ſe praebet, ut hoc pacto tuto determinetur quid ab integritate deficiat, ideoque quid timendum ſit, vel ſperandum, ac quae tandem via teneri poſſit, ut rite & recte res aegrotantium dirigatur.

Ut autem ab actionibus naturalibus initium fiat, id primum advertendum, quod in omni morbo omnia quae digeſtionem (principem nempe functionem, a qua reliquae initium ſumunt) perturbatam indicant, omnia, inquam, peſſimum deſignant ſtatum, & eo quidem magis, quo major perturbatio extiterit. Hujuſmodi eſt perfecta appetitus proſtratio & nauſea indomabilis, & vomitus, & corruptae faecis excretio, & alia ejuſdem generis. Inter omnes vero naturales functiones maximam ſemper Medicorum attentionem revocavit urinae excretio, ut ea, quae non modo digeſtionis, verum etiam ſanguificationis, nec non univerſae fluidorum maſſae conditionem declarat. Verum quidem eſt, lotii qualitates a variis accidentibus innumeras mutationes ſumere poſſe, ita ut facile in errorem ducant; nec nimium de his fidere, prudens ſemper ſit ſapientiorum conſilium; quidquam tamen ab earum conſidera-

ra-

ratione deduci poſſe, indubia res eſt, cum praeſertim alia accedant ſignorum genera, quibus in judicio ferendo magis magiſque res fiat explorata

Atqui non minor in morbis dijudicandis confuſio oritur a nativa varietate, quam in recta valetudine, pro ratione diverſae aetatis, & ſexus, & temperiei, urina promit. Quae quidem varietas eo ſaepius pervenit, ut ſimilem morboſae urinam ſanam reddat. Hinc oportet, ut eam ſemper Medici perſpectam habeant ipſiuſmet urinae conditionem, quae propria eſſe videtur in bona valetudine hominis cujuſcunque; hoc ſiquidem pacto quae integra reapſe eſt nunquam cum morboſa confundi poterit. Utut vero ſit, quidquam admitti ſemper debet, quo omnis urina referri valeat, ut ſic quaelibet morboſa ejuſdem differentia tuto agnoſcatur. Terminus interea neceſſariae collationis in urina ſtatui poſſe videtur, quae ſanguinis vulgo audit, quaeque ab homine ſano mingitur, a cauſſis accidentalibus haud mutata. Hujuſmodi eſt quae primis horis matutinis, omni coctione expleta, excernitur, coloris paleati, limpida tamen, ac nonniſi poſt aliquod temporis ſpatium leve craſſamentum deponens, quod incompleta veluti praecipitatione ſuſpenſum manet. Id porro eſt, quod

hypoſtaſis communiter a Medicis dicitur, ſive ſedimentum; dum ſublimior ejuſdem pars, per urinam innatans, ſub peculiari enaeorematis, ſive nubeculae nomine vulgo nota eſt.

Quotieſcunque igitur a deſcriptis conditionibus urina recedit, quidquam morboſi ab eadem indicari, pro certo ſtatui poteſt. De hoc vero ſequentia tradenda habemus. Urina tenuis, & aquoſa, producitur a nimio potu; ab abſorptione ſeri, alicubi hydropis cauſſa antea collecti; a ſpaſmo hyſterico vel hypochondriaco; ab inſolubilitate materiae extractivae, a qua ejuſdem color originem accipit. Quae quidem omnia optime idcirco ab ea indicantur. Quod ſi tenuis & flammea ſimul appareat, motum maxime incitatum ſupponit, ac proinde maximam in morbis acutiem. Idipſum, ſed vehementius adhuc, indicat lotium, quod cum intenſiori colore craſſitiem conjunctam habet. Turbida urina, inſtar jumentorum, imperfectam digeſtionem, & aſſimilationem materiarum ſequitur. Craſſum & ponderoſum ſedimentum, lateri contrito ſimile, proprium eſſe ſolet febrium intermittentium, in quibus diuturnitatem cum difficultate indicat. Idem in morbis generatim explicat nimia & durabilis ejuſdem ſpumoſitas. Color croceus bilem a ſan-

gui-

ſguine abſorptam demonſtrat. Bona urina eſt, quae, tametſi ab initio tenuis excernatur, ſenſim tamen, progrediente morbo, craſſeſcit. Idem dicendum de illa, quae opaca mingitur, dein fit pellucida. Quae vero his contraria eſt, mala. Peſſima in primis judicanda quae ſtatim a mictu intolerabilem foetorem adipiſcitur, & corrumpitur; facilem enim indicat ſalium ſeparationem, quae praecipua eſſe ſolet putrefactionis conſequentia. Ad eandem cauſſam referri debet apparens ad ſuperficiem pellicula, aranearum telae ſimilis, quae in morbis corruptoriis frequenter in conſpectum venit. Mittimus, ne longa nimis procedat oratio, reliquas varietates, eas praeſertim, quae a topico urinarum viarum vitio originem habent, quaeque nullam continent generalem ſignificationem, hic conſiderandam.

In medica urinarum exploratione tutiora fortaſſis exhibere poſſet chymicorum reagentium opera. Cum enim ordinaria urinae craſis (de qua conſulendum omnino eſt quicquid in Phyſiologia noſtra, & Chemia adnotatum fuit) ex ſalibus diverſi generis, & duplici materia extractiva, componatur, quae quidem omnia propriis characteribus diſtingui poſſunt, vel ſaltem determinatas mutationes exhibent, ſi-

 mu-

mulatque extranea affinitate agitantur, ſatis ideo patet, quod deſcriptis characteribus, vel mutationibus exploratis, quid a naturali urinae temperamento deficiat, rectius explanari valeat. Nota ob id Medicis eſſe deberent quae a Chymicis adhuc de urina explorata ſunt; quin iteratis experimentis determinare opus eſſet, quid ſemper in urina ſanorum reagentia, puta aqua calcis, ſalia alcalina, reliqua, efficiant, ut ſit extemplo, ſtatuti canonis auxilio, ab apparente mutatione quid in morbis ab integritate ejuſdem reapſe deficiat optime percipiatur. Accuratior profecto hac ratione, quam ſimplici intuitu, de morboſa urinae conſtitutione comparari poterit idea, & hinc de craſi humorum, cujus praecipuum indicium illa ſuppeditat.

Sed accedamus modo ad actiones vitales, cujus major quidem vis eſſe ſolet in recto de morbis quibuſcunque judicio ferendo. De reſpiratione primum aliquid ſubjicere oportet, quam inter vitalia ſigna praecipue *Hippocrates* conſideravit. Alibi interea adnotatum fuit, naturalem reſpirationem lentam eſſe, & aequabilem, & profundam, & a nimia pectoris agitatione, nec non ab omni moleſtia immunem. Haec vero non modo integritatem in organis reſpiratoriis, ſic proprie dictis, & in univerſo thorace, ex-

expoſtulat, verum etiam in omni fere abdominis ſyſtemate. Unde quae in illa quandoque vitia explicantur, ab utriuſque regionis perturbatione mutuatam originem accipere poſſe, ſatis patet. Nec negligenda vis ſenſorii, & nervorum, a qua omnis derivatur efficacia in muſculis inſpiratoriis, expiratoriiſque, in organis nempe univerſae reſpirationi immediate dicatis. Unde fit, ut in vitiata reſpiratione & deſcriptae vis detrimentum locum habere poſſe, quiſque facile agnoſcat.

Praecipui vero modi, quibus reſpiratio reapſe vitiatur, ad ſequentes redigi facile poſſunt. Nimis aliquando rara, vel celeris, vel inaequalis, vel ſublimis, vel laborioſa, vel dolens evadit. De rara autem reſpiratione id ante omnia monemus, quod tametſi bona in morbis plerumque ſit, cum virium integritatem, & flexibilitatem organorum, & circulationis aequabilitatem indicet, ſuſpecta tamen in acutis aliquando habenda eſt, cum praeſertim longa inter inſpirationem & expirationem mora intercedat; facile enim delirium eam excipit. Celeris reſpiratio, & anheloſa, vel praecipitem indicat appulſum ſanguinis ad pulmones, vel difficilem per eoſdem viſcidae molis tranationem, vel nimiam irritabilitatem organorum, vel impedi-

tam tandem diaphragmatis depreſſionem, cum nempe ejuſdem plenitudini ſubjectorum viſcerum durities, & volumen obſtaculum opponat. Eadem fere, ſi vario modo applicentur, inaequalem reſpirationem reddere potis ſunt; quibus praeterea accenſenda etiam eſt virium infractio.

Omnium vero peſſima eſt reſpiratio ſublimis, ut ea quae maximum declarat in pulmonibus infarctum, vel infirmas, depreſſaſque admodum vires; unde neceſſaria accerſitur vis auxiliatrix muſculorum, qui ſuperiorem & poſteriorem thoracis regionem occupant, & extraordinariae inſpirationi ſimul inſerviunt. Hinc ſcapulae attolluntur, & cervix retro inclinatur, & clavicularum fit agitatio; ita ut ſolis hiſce particulis omnis contineri videatur actio inſpirationis. Huic proxime accedit reſpiratio laborioſa, ea nempe, in qua praeterea narium pinnae valide agitantur, & muſculi abdominales, & hypochondria ultro citroque vehementer feruntur, & luctuoſo livore vultus occupatur, & artuum ſuperiorum extremitas; praeſertim ſi rhoncus accedat in acuto pectoris morbo. Quod quidem maximam pulmonum anguſtiam denotat, vel virium defectionem, & hinc proximam mortem. Caſum forte excipere oportet, in quo

de

de affectione agitur ſpaſmodica, faciliter ſolvenda, vel de habituali morbo, aſthmate *v. g.*, ubi deſcriptam anguſtiam tolerabilem quodammodo uſus reddit. Tandem dolens reſpiratio ſauciatas quomodocunque particulas demonſtrat, vel inflammatione detentas.

Inter vitales functiones, inſtar ſignorum conſideratas, in ſtatu morboſo declarando, maximum exploranti Medico negotium pulſus faceſſit. Enimvero ut cynoſura communiter habetur in diagnoſi & prognoſi quacunque dirigenda, unde & maximam celebritatem paſſim adeptus eſt in variis Medicinae aetatibus. Sunt qui notam *Hippocrati* deſcriptam ſigni ſpeciem fuiſſe contendunt. Et quidem non modo in hip[illegible]icis operibus hujuſmodi vocabulum deſig[illegible]a perhibetur, ſed primus *Hippocrates* vide[illegible] fuiſſe *ſphygmos* vocis auctor, quae latine idem ac pulſus ſonat, unde & ſphygmica ars dicta fuit quae de arteriarum pulſationibus occupatur. Fateri tamen oportet, nullam reapſe veram ſignificationem ſtatutam apud *Hippocratem* inveniri de pulſibus ſic proprie dictis, ut in poſteriori aetate factum fuiſſe novimus. Inter veteres *Herophilus* in primis multa de pulſibus commentatus eſt, muſicaſque clauſulas adhibuit ad eorum menſuram determinandam. Quod a re-

recentioribus quibuſdam renovatum inde fuit, arbitrio, & incertae analogiae nimis fortaſſe indulgentibus. Ab *Herophilo* plurima inde *Galenus* accepit, qui tamen longe ampliorem ſphygmicam artem reddidiſſe videtur, aliorum inventis, tum & nimia forte ſubtilitate abuſus. Quae ſane galenica doctrina intacta viguit, donec mechanicorum familia rem diverſimode tractandam ſuſcepit.

Sed ab initio hujus ſaeculi *Franciſcus Solanus*, Medicus *Iberiacus*, nova prognoſtica ex notis jam pulſibus deduxit, quae in ampliſſimo opere ſub *Lapidis Lydii Apollinis* titulo an. 1737. publici juris fecit. Ex tanto inde volumine utiliores res, & obſervatione dignas, excerpſit, ac in paucas paginas contraxit *Jacobus Nibell*, Medicus *Hibernenſis*, cujus opuſculum quamplurimas obſervationes continet, *Solanianis* inventis confirmandis deſtinatas. Concalefacta hinc ſunt in *Gallia* aliquorum Medicorum ingenia, praeſertim D. *Bordeu*, qui ſphygmicum ſyſtema completum effingere auſus eſt, verborum praeſertim, longo jam uſu effoetorum, mutatione, ac novitate conſpicuum. Id autem in deſcripto ſyſtemate ſibi proponit Auctor, ut ſecuriori regula omnia, quae ex pulſu deduci poſſunt prognoſtica cognoſcerentur, relatione primum determinata inter modum, quo

quo pulſus procedit, & phaenomenon inde neceſſario ſequens.

Ante omnia vero obſervat, diverſum ſemper fieri pulſus characterem pro diverſo morbi tempore; enimvero ſub initium *irritatus* eſt, *explanatus* in ſtatu, *criticus* denique in decremento, qui morbi ſolutionem proxime praecedit. *Irritatus*, & *explanatus*, ſub communi *non critici* nomine etiam venit, licet remotior a critico primus, quam ſecundus fingi debeat. Ex quo neceſſario ſequi videtur, quod in omni aegritudine pulſus in *non criticum*, & *criticum* dividi optime poſſit.

Morbi interea ſolutio utplurimum per evacuationem obtineri ſolet, cui varia emunctoria Natura deſtinavit. Diviſum vero a diaphragmate corpus fingi poteſt in duas regiones, quarum una ſuperior eſt, quae ſupra diaphragma ponitur, altera inferior, quae infra; quarum quaeque ſua propria emunctoria continet, criticae cuicunque evacuationi deſtinata. Hinc pulſus criticus in *ſuperiorem*, & *inferiorem* dividitur, prout evacuatio ipſa ab emunctoriis obtinetur, quae ſupra, vel infra diaphragma poſita ſunt.

Deſcriptam pulſus critici diviſionem nova inde excipit ſubdiviſio, ab organorum excretoriorum diverſitate petita. In ſuperiori vero regio-

gione excretio vel a pulmone venit, vel a gutture, vel ab interna narium cavitate; unde pulſus criticus ſuperior vel *pulmonalis* erit, vel *gutturalis*, vel *naſalis*. In inferiori autem omnis evacuatio vel a ſtomacho obtinetur, vel ab inteſtinis, vel ab hepate, vel a renibus, vel a vaſis haemorrhoidalibus, vel ab utero; ex quo ſequi neceſſario debet, quod pulſus inferior vel *ſtomaticus* ſit., vel *inteſtinalis*, vel *hepaticus*, vel *renalis*, vel *haemorrhoidalis*, vel *uterinus*.

Datur praeterea pulſus ſudoris, qui tametſi diverſus a deſcriptis fingi omnino deberet, *ſuperioris* tamen characterem illi proprium eſſe, & ad ipſum potius accedere, innuit Auctor. Deſcripti vero pulſus, qui ſimplices ſunt, vario modo inter ſe conjungi poſſunt, unde maximus inde exurgit compoſitorum numerus. Criticus *v. g.* cum non critico ſaepe copulatur, ſuperior cum alio ſuperiori, hic cum inferiori, inferior cum alio inferiori, & ſic porro de aliis: quae ſane compoſitio frequentiſſima in morbis experiri ſolet, cum contra ſimplicitas rariſſima nonniſi in conſpectum veniat.

Interim haec pauca de his delibaſſe, opus fuit, ut prima idiomatis elementa, quo medicam praxim ornare nunc aliqui ſatagunt, quo-

quoad fieri poteſt, a tyronibus intelligantur. Utinam vero, ut quae D. *Bordeu* in proprio penetrali de ſphygmica arte paciſci auſus eſt, tuta extiterint, & vera! Ars enim prognoſticandi, quae perpetua ambiguitate vacillat, firma ſic evaderet, ac nova quidem & inſolita perſpicuitate perfunderetur. Verum de ingenioſiſſimo ſyſtemate id tantum affirmari poſſe, autumamus, quod ut maxime commodum & apte concinnatum illud eſt, ita & verum fuiſſe, optabile eſſet. Nam (cum brevitas noſtra haud nos feſellerit) quae potius pro Medicorum commodo res eſſe deberet, quam quae reapſae eſt, effiсta videtur. Profecto maximum, quod tam magnifico apparatu emolumentum ſphygmicae artis Periti jamdiu polliciti ſunt, nullum hactenus, vel ſaltem exiguum admodum fuiſſe, ſummo animi noſtri angore invenimus. Nec diſſimulandum, quod aliquando quae ſumma vulgi admiratione, & Medicorum gloria, a pulſuum exploratione deducta viſa ſunt, reapſe a ſecreta, & turpi Medici, & aſſidentis alicujus conſenſione omnem derivationem accepiſſe, pro comperto habemus. Mittimus quae in his fortuito etiam evenire ſolent, quaeque ſimplicioribus quandoque impoſuiſſe, haud a veritate nimis abſonum videtur. Quicquid

ta-

tamen de his fuerit , id porro certum eſt , ſummos in Arte Viros , probitate quidem , & maxima in medicando experientia conſpicuos , nullam , vel parvam admodum attentionem ſphygmicae *Gallorum* doctrinae dediſſe, quaeque idcirco apud omnes (rarioribus fortaſſe , felicioribuſque ingeniis exceptis) neglecta ſemper fuit & deſerta .

Id quidem a novae doctrinae fautoribus maximae difficultati referri ſolet , quae in omni determinanda pulſuum modificatione invenitur, ſive eſſentialis , ſive accidentalis ea fuerit , praeſertim cum ad rei implicationem compoſitio acceſſerit ; unde parva factorum cum ſtatutis principiis conſenſio non falſitatem doctrinae, ſed maximam tantum difficultatem arguere , acriter contendunt . Veruntamen , pace tantorum Virorum , meminiſſe hic forte juvabit, quod doctrina, quae omni perſpicuitate deſtituitur, ita ut nulla facilitate in commodum uſum trahi poſſit, ſed perpetua tricarum difficultate obſidetur, frequentiſſimamque deceptioni occaſionem ſuppeditat , non modo inutilis , ſed maxime noxia ſimul habenda ſit , eaque tuto carere idcirco queamus. Nec reticendum, quod omnes ſphygmici Doctores , nec *Galeno* excepto , unanimiter fateantur, nullam prognoſticorum, quae

a ſe-

a ſola pulſus exploratione deducuntur , certitudinem eſſe , niſi ab aliis ſignis (firmiori certe regula in aegrotantium corpore ordinatis) confirmatio accedat. Quod ſane ut pulſuum fallaciam maxime recelare videtur , ſic neceſſitudinem reliqua, quae clariora profecto ſint, & tutiora , recte perpendendi ſatis demonſtrat.

His ita ſe habentibus, pauca generalia de pulſuum ſignificatione, quae ſaltem a tyronibus facile percipi poſſit, ac nullo implexu, vel minimo utcunque poſſibili dubio procedat , nunc adducere , operae pretium erit . Ante omnia vero advertendum , quod cum pulſus in motu conſiſtit, quem extremorum in primis digitorum applicatione Medici in arteria percipiunt, in canale ſcilicet cylindrico, & flexibili, dum hic alterna viciſſitudine dilatatur, & conſtringitur , ſatis patet , ab ejuſdem exploratione quo pacto motus ipſe procedat , nec non ejuſdem cauſſae , vel obſtacula vigeant, inferri poſſe. Omnem porro cauſam , a qua arteriarum pulſus derivantur , vires vitales conſtituunt , arteriis ipſis nervorum opera immediate, vel mediate (cordis ſcilicet interventu) applicatae . Hinc evenit , ut a pulſus exploratione generatim de quantitate & modo virium optime in primis judicare

quea-

queamus, tum & de circulatione ſanguinis, & de effectibus quibuſcunque aliis, ſimili modo ab iiſdem viribus praecipue moderatis. Ad haec vero determinanda ſatis erit, ut pulſus magnitudo, & durities, & frequentia, & regularitas rite exploretur.

Quae quidem omnia tametſi plana utcunque videantur; non deſinunt tamen difficiliora ſaepius evadere; cum a nativa plerumque corporum conſtitutione originem ducant, nihilque idcirco inaſſueti in morbis deſignent. Ob id neceſſarium omnino erit, ut Medici naturales cujuſcunque individui pulſus optime dignoſcant, quid ſcilicet in his vis aetatis, & temperamenti, & ſexus, & peculiaris cujuſcunque conſtitutionis valeat, ut ſic magis magiſque fallaciſſimae rei in Medicina progreſſus praepediatur.

Ratione magnitudinis pulſus in magnum dividi poteſt, & parvum, quorum ſane primus in plena conſiſtit arteriae dilatatione, & facile idcirco percipitur, alter vero quidquam ab arteriae volumine tollere ſemper videtur, unde illa quaſi abſcondita & ſepulta jacet. Magnus porro pulſus vires quomodocunque auctas arguit, parvus imminutas. De hoc autem obſervandum praeterea eſt, quod aliquando non virium defectum, ſed oppreſſio-

nem

nem potius indicet. Quod ſane in febrium exordio, nec non in affectione hyſterica, ac alia quacumque ſpaſmodica aegritudine experitur. Hinc evenit, ut ſoluto ſpaſmo, ob auctam reactionem, vel ſanguinis miſſionem, ſtatim arteria a depreſſione inſurgat, parvumque pulſum magnus inde ſequatur. Communiter ſtrictus quoque, vel convulſivus, vel irritatus appellatur, ſpeciemque refert pulſus *acritici* D. *Bordeu*.

Durus pulſus dicitur, cum arteria haud facile digitorum preſſioni cedit, ita ut non flexibilem, ſed rigidum canalem digitis premere videamur. Mollis contra erit, ſimulatque arteria facile cedit, digitorumque tangentium ſubmerſionem quaſi ferat. Vis aucta, plenitudo canalium, obſtacula cujuſcunque generis, pulſus duritiem efficiunt, & ab illa deſignantur. Contraria vero de mollitudine intelligenda ſunt. Quod ſi durities cum magnitudine conjuncta ſit, fortis inde pulſus exoritur; debilis autem, cum parvitati mollitudo accedat. In utroque caſu quae ſeparatim a componentibus pulſibus indicantur, potiora eſſe, ex ſe patet. Hinc pulſus fortis proprius eſſe ſolet inflammatoriae diſpoſitionis, & morborum, qui ab illa derivantur, ubi ſane omnia locum habent ma-

gni

gni & duri pulſus attributa; debilis vero putridas ſemper aegritudines ſequitur, in quibus nempe ingens virium proſtratio ſaepe locum habet. Quandoque pulſus debilitas apparens nonniſi eſt, nihilque idcirco mali ominis portendit, cum ſcilicet ob arteriae profunditatem, vel craſſiorem ſuperimpoſitum cellularis membranae ſtratum, ut obeſioribus fieri ſolet, a tangentibus digitis ictus plenitudo haud percipitur.

Sequitur pulſus *frequens*, qui nempe determinato tempore majorem, quam in perfecta valetudine, ictuum numerum habet. In diligentiori Sphygmica diverſam a *frequenti* fert pulſus *celer* ſignificantiam. Hic enim tunc eſſe dicitur, cum brevius in unoquoque ictu tempus abſumitur, tametſi numerus pulſationum nullum in determinato tempore tulerit incrementum. Illi contrarius eſt pulſus *tardus*, in quo idcirco majus inter pulſationes ſpatium interponi, ex ſe fit manifeſtum. Generatim pulſus frequentia auctas vires indicat, a quibus motus incitatur, & hinc irritationem, & quae huic movendae opportuna inveniuntur. Sed admitti ſimul debet, quod ſaepius deſcripta frequentia praecipuum eximiae debilitatis ſyntoma conſtituit; idque fieri ſolet, cum parvitas, & mollitudo ſimul

acce-

accedat . Hinc facile intelliguntur quae ad tardum ſpectant. Profecto facillima eſſe ſolet hujus cum forti pulſu conjunctio , rariſſima vero quae huic contraria eſt . Ex quo fieri neceſſario debet, ut frequentius vigoris, quam proſtrationis indicium in pulſu tardo inveniatur .

Praecipuae, quae hactenus deſcriptae ſunt, pulſus differentiae, in hoc conveniunt ut rythmi aequalitatem ferant ; unde & facilior earundem intellectus evadit. Creſcit vero difficultas in pulſibus *arytbmicis* , ſive inaequalibus , in quibus ſane arteriae oſcillatio innumeris fere modis turbari aliquando ſolet, nullo, vel parvo admodum, ordine ſervato. Celebriores tamen inter ceteros , minuſque ſimul abnormes habentur *dicroti* , *intermittentes*, *incidui* , a quibus *Solanus* peculiaria prognoſtica ſua in primis deducere ſolebat. Forte & ab iiſdem , peculiari modificatione ornatis, omnes inde deductae ſunt in novo ſyſtemate effictae *criticorum* pulſuum differentiae.

Ut autem diſcriminatim de illis quidquam ſubjungatur, de dicroto primum id faciemus. Hoc nomine pulſus appellari ſolet , in quo paſſim arteriae diaſtoles in duas veluti dividitur , ita ut pro unica pulſatione duae ob-

veniant, quae ad ſe invicem properantes illius ſpatium perfecte complent. Narium haemorrhagiam ab eodem indicari, monet *Solanus*, & quidem magnam, ſi in dicrotiſmo ſecundus ictus vividior primo extiterit, & contra. Pro ratione vero frequentiae ejuſdem dicrotiſmi, num haemorrhagia citius vel tardius ventura ſit, declaratur. Advertendum tamen eſt, quod ut deſcripta prognoſis vera inveniatur, narium pruritus, & rubor faciei, & alia ſimul concurrere debent ſyntomata, impetum in illam particulam ſatis ceteroquin per ſe indicantia; alias dicrotiſmus, juxta *Solani* mentem interpetratus, maxime fallit. Certe pluries eundem obſervavimus in aneuriſmate, nonnumquam in aliis etiam caſubus, nulla tamen ſequente naſali haemorrhagia. Major adhuc incertitudo invenitur in determinando haemorrhagiae tempore, quod fortaſſis non a dicrotiſmi frequentia, ſed a diebus regulam potius ſumere videtur, in quibus Natura ſalutares motus praecipue incitat. Ita ut, ſi quidquam generatim de pulſu dicroto ſtatuendum ſit, in hoc fere conſiſtit, ut obſtaculum in arterioſo ſyſtemate deſignet, contra quod vires inſurgunt, ad idem diruendum deſtinatae. Impetus vero eo quandoque pervenit, ut hinc reapſe haemor-

rha-

rhagia per nares ſequatur, vel per alia emunctoria, prout reliqua, quae habentur, ſyntomata vim conantis Naturae diverſimode applicatam deſignant.

Dicroto oppoſitus plane eſt pulſus intermittens. Nam ut in illo conduplicata quandoque fit pulſatio, ſic in iſto deficit omnino, ita ut vacuum ſpatium manet, nulla ſenſibili pulſatione occupatum. In pulſu vero intermittenti arteriae ſilentium longius aliquando protrahitur, aliquando brevius, pro ut nempe ſimplex, vel duplex pulſatio deficit; ſimulque tempus variare ſolet, in quo intermiſſio recurſat. Ab hujuſmodi pulſu malum ſemper omen Medici olim deducere ſolebant. Verum funeſta prognoſis falſa ut plurimum demonſtratur, non modo a felici eventu, qui pulſum intermittentem ſaepius in morbis ſequitur, verum etiam ab intermiſſione, quae naturalis fere hominibus quibuſdam, hypochondriacis praeſertim, eſſe ſolet. *Solanus* diarrhaeam in morbis a pulſus intermittentia praenunciari, affirmat, & quidem magnam, ſi longa ſit intermiſſio, & brevi tempore adventuram, ſi frequenter recurſet. Quod ſi durities accedat, vomitus facile cum diarrhaea conjungitur, urinae vero profluvium, ſi mollitudo. Sed advertendum ſimul

mul eſt, quod non ſemper deſcriptas evacuationes pulſus intermiſſio praecedat, nec ſemper illas ſequatur, quaecunque demum fuerit (eſſentialis nempe, vel accidentalis) hujuſmodi incongruentiae cauſſa. Hinc de pulſu intermittenti ea omnino affirmari poſſunt, quae de aliis dicta ſunt; quod nulla nempe ſit eidem certitudo, niſi ab aliis ſignis ſimul petatur. Id autem monendum nunc reſtat, ut tum reapſe fatalis hujuſmodi pulſus modificatio haberi debet, cum extrema eidem debilitas conjungatur; tunc enim a virium defectu immediatam nonniſi originem ducit, extremumque ideo fatum proxime praecedit.

Inter inaequales pulſus illum praeterea referre oportet, qui *inciduus* a *Solano* dictus fuit, quique tametſi novam pulſus ſpeciem, ab eodem primo perceptam, conſtituere videatur, fortaſſis tamen apud *Galenum* ſub *undoſi* titulo quidquam ſimile deſcriptum invenitur. Hujuſmodi vero pulſus eo modo procedit, ut per duas, tres, quatuorve ad ſummum, pulſationes, ictus major continuo evadat, ac veluti ſupra ſe invicem aſſurgat. Sudorem ab illo indicari, docet *Solanus*, dummodo mollis ſimul ſit, & omnis abſit a cute rigiditas. Huic forte contrarius *myurus* haberi debet, a *Galeno*, ut videtur, primum

ad-

adnotatus , in quo pulſationes gradatim minores fiunt , & veluti fatiſcunt , & arteria extenuatur inſtar muris caudae , unde nomen originem habuit .

Praeter deſcriptas pulſuum varietates, aliae quamplurimae fortaſſe dari poſſunt , quas tamen nulla diſtincta, ac certiori regula determinatas, nobis datum fuit hactenus perfecte dignoſcere, ut aliis (certe diligentioribus felicioribuſque) eveniſſe proditum eſt. Unde generatim id de inaequali pulſu affirmari poſſe autumamus, quod tumultuariam indicet in corporibus noſtris virium diſtributionem , dum hae functionibus explendis applicantur. Sed de his ſatis. Id modo tantum obſervandum reſtat, quod ad rite perficiendam pulſus explorationem , regulis ſe obſtrictos Medici credere omnino debent , quarum ſane negligentia errandi occaſionem , ceteroquin in his facillimam , magis adhuc frequentem reddit . Quapropter id Medicus ante omnia curet , ut non ſtatim in primo ad aegrotum ingreſſu pulſum exploret , vel a prima exploratione plenum judicium ferat ; facile enim illius praeſentia hujus animum turbat , & hinc arteriae motum . Tres dein , vel quatuor digitos carpo applicet , ita tamen ut propria dextera manus , ad commodam dili-

gentemque obſervationem perficiendam , ſiniſtram aegroti tangat , & viciſſim . Aegrum interea eo modo diſpoſitum eſſe oportet , ut nullam ejuſdem muſculi defatigationem patiantur ; ſedere nempe debet , vel cubare , brachiumque molliter flexum ſupra pectus habere . Nec ſtatim a ſomno pulſum Medico exhibeat , vel dum vehementi motu animus agitatur ; in utroque enim caſu ſatis aliquando vehemens fieri ſolet arteriarum commotio .

Sed accedamus modo ad ſigna deſcribenha , quae ex animalibus actionibus petuntur, quaeque & magnam vim poſſident in morborum judicio ferendo . Immo vero tutiorem ab his prognoſim deduci poſſe , certioremque ſignificantiam in iiſdem contineri , a diligentioribus quibuſcunque Medicis , pro rato habetur . Malum porro ſemper eſt , dum vis ſenſorii , quae ſane in corporibus noſtris omnium virium principium conſtituit , depreſſio quomodocunque fiat , vel perfecta inopia . Id vero optime demonſtrat affectio quaecunque comatoſa , ſenſuum perturbatio , & quae inde quandoque ſequitur perfecta abolitio , diffuſa per omnes animae facultates infirmitas , quaedam ejuſdem animae ab omni affectione vacuitas , ingens muſculorum inertia,

qua

qua & motui artus inepti redduntur , & aegri nullo pacto ſe erigere queunt, & projecti cubant, dorſo innixi. Peſſimam ſenſorii perturbationem indicat praeterea delirium , & hinc omnis, quae illud praecedere ſolet actionum incongruentia. Hujuſmodi eſt floccorum, & muſcarum, quae ante oculos obverſari videntur, collectio , inaequalis membrorum diſperſio, vel nudatio indecora, impetus , quo improviſo aliquando ſe tollere conantur aegroti, perpetua, quae eoſdem premit, vigilia,& alia ejuſdem generis.

Nihil vero magis Medlcorum judicium adjuvat, quam accurata vultus aegrotantium intuitio. Mira enim eſt quae in facie a vi morbi fieri aliquando ſolet lineamentorum perturbatio. Hinc ut ſuſpecta haberi haec ſemper debet , tametſi non eodem modo ſe viſendam praebeat . Bona eſt vultus conditio , cum nullo pacto in morbo mutatur , ac nativum omnino modum retinet. Si vero turgidior fiat, & magis decora, & grato colore , qui prius deficiebat, ſuffundatur , vel rubri & torvi ſimul oculi evadant, morbus delirium minatur, vel aliam quamcunque periculoſam cerebri affectionem. Rubor autem ad genas circumſcriptus, viſcerum iaflammationem indicat , & corruptionem , in pri-

mis pulmonum . Omnium vero peſſima eſt facies, quam *Hippocraticam* appellant, ſic dictam ab *Hippocrate*, qui perfecte illam in *Prognoſticis* delineavit. Eam vero conſtituunt *oculi concavi*, *naſus acutus*, *tempora collapſa*, *aures frigidae*, & *collapſae*, *lobi aurium inverſi*, & *cutis circa frontem dura*, *intenta*, *arida*, *colorque totius faciei pallidus*, *aut & niger*, & *plumbeus*. Oculi dormientium ſemiaperti, dummodo antecedens evacuatio id non expreſſerit, male ſemper interpetrandi ſunt. Quod ſi in puerulis bulbus ſimul agitetur, ac maxima jam facta ſit per morbum virium extenuatio, convulſione jam ipſos detineri, quae exitialis eſſe ſolet, indicium eſt. Nec vox negligenda, quae maximam ſane in organis vim requirit, ut plena fiat; unde debilis, & inaequalis, & obſcura, quam canglosam *Hippocrates* appellavit, maximam ſemper virium depreſſionem indicat, & mala eſt. Quod ſi in ebriis deficiat omnino, ita ut muti jaceant aegrotantes, tametſi ebrietas ſolvi coeperit, & febris ſupervenerit, inſolubilem convulſionem indicat, quae ad mortem diſponit. Vox vero acuta ab inflammatoria organorum vocalium tenſione ut plurimum originem ſumit. Ceterum ſi plura de his noviſſe quis voluerit, ad *Hippocratem* in primis ſe conver-

vertere debet, qui princeps merito in omni aetate veneratus eſt Naturae miniſter, & interpres. Praecipue vero conſulendus eſt liber *prognoſticorum*, ubi admirabilis, ac divina propemodum, quam Medici ſpirare poſſunt, Artis ſapientia continetur.

Hactenus ea praecipue deſcripta ſunt, quae vim morbi impreſſam ferunt, quaeque corporum noſtrorum vaſtationem a morbis inductam declarant. Verum reſidua ſemper in illis fingi debet vis, quae vitam ſuſtinet, ſatisque fontium cauſſarum activitati reſiſtit. Haec porro vi morboſae contraria eſt, cum qua idcirco continuo praeliatur, &, victrix tandem, incolumes aegrotantes ſervat. Hinc recte ab *Hippocrate vis medicatrix* appellata fuit, cum fauſtus morborum eventus eidem tribuendus in primis videatur. Ejuſdem porro activitate admirabiles quandoque conatus moventur, qui tametſi ingenti ſaepius turbatione conjungantur, cum haec tamen deferbuerit, omnia tranquilla reddunt, & pacata. Praecipuus vero deſcriptae vis effectus *criſim*, ſic dictam a Medicis, conſtituit. Cujus quidem ſignificatio tametſi diverſimode accepta fuerit, ita ut quid praecipue de ea intelligendum ſit, apud Medicinae Profeſſores non ſatis conſtet, nos tamen cum *Galeno*, aliiſque Artis noſtrae Antiſti-

tiſtibus, perfectam morbi in ſalutem mutationem, criſim generatim appellandam eſſe, ſatius putamus. Hinc inutilis videtur admiſſa ejuſdem diviſio in perfectam, & imperfectam; ſimulatque enim morbus adhuc durat, nullam veram criſim fuiſſe, pro certo habemus. Et re quidem vera in communi Medicorum idiomate morbus judicatus dicitur (judicium vero idem ac κρίσις ſonat) cum perfecte ſanatus cedit. Omnia ergo reſpuenda ſunt quae de his implicata adduci ſolent, ut ea, quae nihil, praeter tricas, & difficultates tyronum intellectui creare omnino videntur.

Deſcripta interim mutatio maximas aliquando evacuationes ſequitur; interdum vero nullas, cum nempe paullatim quicquid morboſum eſt educitur, vel aſſimilatur. Quod quidem ut a Natura optime fieri poſſit, materias in primis praeparare oportet, eas nempe attenuando, vel inſpiſſando, vel ſeparando, vel aliis modis temperando, quos omnes dignoſcere, Medicis forte datum hactenus non fuit. Deſcripta praeparatio ſub *coctionis* nomine venit, quam idcirco criſim ſemper praecedere debere, cuique ſit manifeſtum.

Adnotatione interim dignum eſt, deſcriptas criſes determinatis ſemper diebus fieri, qui

qui critici ob id dicti ſunt. Quae quidem doctrina, ab *Hippocrate* in primis ſtatuta, tametſi ab aliquibus, non infimae quidem notae Medicis, haud recepta ſit, firma tamen nobis videtur, & a perpetua obſervatione confirmata. Quod ſane tam verum eſt, ut maxima Medicorum pars, qui inter Veteres aeque ac Neotericos celebratiſſimi, in praxi potiſſimum medica, extiterint, idem affirmare, ac ut Naturae inſtitutum amplexari, haud verita ſit. Profecto negari nullo pacto poteſt, quod omnes, quae in corporibus noſtris actiones exercentur, determinata ſemper ordinentur periodo. Vires namque illis deſtinatae, quamcunque originem agnoverint, cum tamen a nativa corporum conſtitutione, quae eadem ſemper eſt, praecipuum modum accipiant, determinatam efficaciam jugiter promunt; unde fieri omnino debet, ut effectus earundem ſtatutis nonniſi temporibus propriam plenitudinem adipiſcantur. Ad haec vero confirmanda obſervatio accedit, quae revera eam in animali oeconomia legem dominari, quam nunc pronunciavimus, ſive perfecta, ſive imperfecta valetudo fuerit, ſatis ſuperque indicare videtur.

Non inficiamur tamen, aliquando corpora noſtra a deſcriptae regulae imperio exempta in-

inveniri ; ſed exceptio haec eſt peculiaris, quae generalem regulam haud derogare valet, quaeque rite interpetrata, forte non tam diſſona a ſtatutis principiis invenietur, ut aliqui facile in animum ſibi inducere viſi ſunt. Nulla interea neceſſitas urget, ut criticorum dierum doctrinam a numeris pythagoricis deductam agnoſcamus, cum contra firmiter ſtatui poſſe contendimus, eam omnem derivationem ſuam acceptam referre ſempiternae conſuetudini, qua Natura, determinata periodo, omnia, quae ſunt, diſponit ſemper, & gubernat. Hinc argumenta, toties poſt *Aſclepiadem*, & *Celſum* pleno ore ab aliquibus repetita, adverſus receptam criticorum dierum doctrinam, ſponte ex ſe ruunt, eamque infirmare nullo pacto valent. Memorata ſiquidem argumenta vel exceptiones continent, quas nullo pacto generalem regulam adverſari, jam ſupra innuimus, vel inutili conatu numerorum pythagoricorum futilitati demonſtrandae applicantur.

Cum igitur dies critici admittendi ſint, in quibus ſcilicet reſiduae adhuc oeconomiae vires peculiari modo in debellandum morbum impetum faciunt, *Hippocratis* teſtimonio, nec non perpetuae obſervationis beneficio, ſequentes ſtatuuntur; tertius nempe, quintus, ſeptimus,

no-

nonus, undecimus, decimuſquartus, decimuſſeptimus, vigeſimus. Ex quibus facile apparet, periodum, qua dies critici diſponuntur, ab initio tertianariam eſſe, poſt undecimum vero fieri quartanariam; quae ſane periodus ea reapſe videtur, quam corporum noſtrorum actiones potiſſimum affectant, illique fere ſemper accommodatae obſequuntur. Quod cum ita ſit, ſatis patet, cur inter dies criticos vigeſimus potius, quam vigeſimus primus a nobis, exemplo etiam magni nominis Medicorum inductis, referatur. Verum quidem eſt, *Hippocratem* in *aph. 36. ſect. IV.*, nec non in lib. de *diebus judicatoriis* vigeſimum primum inter dies criticos retuliſſe; ſed alienum ab *Hippocratis* mente id fuiſſe ex eo deducitur, quod in reliquis genuinis ejuſdem operibus praecipuas morborum judicationes in vigeſimo adnotantur. Ita ut in cit. *aphor.* errorem irrepſiſſe videtur culpa amanuenſium, forte poſt *Archigenis* aetatem, qui vigeſimum primum praeferendum eſſe, princeps auctor fuit. Libri vero de *diebus judicatoriis* nulla ratio habenda, cum ſatis conſtet, nullum eidem inter genuina *Hippocratis* opera locum a peritis concedi.

Poſt vigeſimum diem, cum morbus adhuc duraverit, vires oeconomiae, magis adhuc exte-

tenuatae, tardiores nonniſi effectus promere potis erunt; unde criſes a periodo quartanaria ad ſeptenariam tranſire videntur uſque ad quadrageſimum diem. Inde vero periodus magis etiam elongatur, & menſualis fit, & hinc annualis juxta *Hippocratis* regulam. Fateri tamen oportet, in morbis diuturnioribus criſes ſatis abnormes fieri, vel nullam, ſaltem accuratam legem ſervare, quae in acutis locum habet.

Mittimus interea quae & hic adnotanda eſſent de reliquis diebus, quibus omne continetur morbi curriculum; nimiam enim praeciſionem redolent, ac forte inconditam ſuperfluitatem, confuſioni gignendae nonniſi opportunam. Id tantum nunc advertimus, quod ratione activitatis ſupra omnes dies criticos in acutis morbis ſeptimus primas ferat, dein decimus quartus, & tandem vigeſimus. Ita ut cum morbus in ſeptimo haud judicatus fuerit, facile ad decimumquartum protrahitur; hoc vero irrito experto, vigeſimum ut plurimum expectare oportet. Cum interea criſes paullatim praevia concoctione praeparentur, hinc quidquam ſemper antea in conſpectum venit, quo tuto ſaepius illae praenuntiari valent. Dies vero, in quibus id fieri ſolet, *indices* appellantur, ſive

ſive *ſemiſeptenarii* , cum medium cujuſcunque hebdomadis occupent. Hinc in Veterum doctrina quartus, undecimus, decimuſſeptimus, indices dicebantur ſeptimi, decimiquarti, & vigeſimi, cum motus in illis excitati, criſes in his futuras optime deſignarent. Veruntamen haud ſatis intelligitur, cur dies reliqui, in quibus forte incohata mutatio adhuc durat, ac venturam criſim magis ſemper magiſque certam reddit, eodem nomine ornari non valeant.

Supra jam monuimus, morborum judicationes, ſive criſes ſic proprie dictas, duplici modo fieri, nulla ſcilicet ſenſibili apparente evacuatione, vel contra. Primum evenit in morbis levioribus, in quibus nempe morboſa materia a Naturae viribus, adhuc fere integris, facile ſubigitur, nec tempus habet ut magna copia cumuletur, magniſque evacuationibus occaſionem inde ſuppeditet; vel in ſpaſtica affectione, cujus quidem ſolutionem nec ulla praecedit evacuatio. Alterum vero fit in magnis morbis, qui revera magnis nonniſi evacuationibus ſanantur; ingens enim in illis fingi debet materiarum cumulus, vireſque ſimul conſtitutionis ſub initium impares, ut illas quocunque modo retundere, vel extra movere paullatim valeant. Veruntamen temporis

be-

beneficio, cum oppreſſio haud inſuperabilis fuerit, ſenſim irritatae, conatus exerunt, quibus tandem idoneae evadunt, ut quicquid noxium eſt foras expellatur.

Id porro dignoſcitur a mutata primum qualitate materiae morboſae, ejuſdem nempe inſpiſſatione ſi tenuis nimium fuerit, vel liquatione, ſi denſior; tum a novis morboſis ſyntomatibus, vel eorum, qui antea erant, intenſiori exacerbatione. Reſpiratio *v. g.* anxia fit & difficilis, caput gravatur, vel dolet, oculi veluti ſcintillantes evadunt, aeger delirat, dolores recrudeſcunt, torpor membra occupat, fit cardialgia, hypochondria deprimuntur, abdomen intumeſcit, inteſtina borborygmis agitantur &c. Quae quidem omnia, tametſi maximum tyronibus aſſidentibuſque terrorem faciant, cum tamen, attenta obſervatione adhibita, vires inveniantur, haud omnino a morbo tritae, ſimulque omnis deſcripta tempeſtas diem criticum excipiat, de inſtanti criſi cogitandum potius eſſe, indicia praebent.

Quod ſi reapſe evacuatio tandem apparuerit; puta ſudoris, vel ſanguinis, vel ſputi, vel urinae, vel materiae inteſtinalis, ſtatimque ab illa aegrotantes propriarum aerumnarum inſigne tulerint levamentum, & bene ſe habuerint, veram criſim jam factam fuiſ-

ſe,

ſe, tuto affirmari poterit. Contra vero ſi in pejus ſemper ruant; tunc enim non naturae, ſed morbi vires ſuperantes erunt, peſſimumque idcirco ſtatum ſemper indicabunt. Atque hoc pacto, eventus conſideratione, firmius, ac nulla prorſus ambiguitate, de rebus aegrotantium judicium ferri poterit.

Quae hactenus dicta ſunt mentem noſtram de criſibus, & diebus criticis, ſatis explicare videntur. Dum vero *Hippocraticam* de his doctrinam magna ex parte retinemus, expectatricem, inertemque medicinam haud omnino hic laudandam aſſumimus. Nam tametſi fateamur, naturam haud turbandam eſſe, dum criſibus incitandis intenta laborat: id tamen artis auxilia non excludit, quorum ſane defectu vel tardior illius operatio evadit, vel quandoque ſub morbi ſarcina deficit omnino, ac dum Medicus expectat, aeger a morbo ſuffocatus perit. Hinc in Clinicae artis exercitio ſumma opus eſt prudentia; tempus eſt enim, in quo reapſe cunctando vincitur, dum interea omnem aliquando activitatem opus eſt explicare, ut Naturae jam fatiſcenti opportune ſuccurratur. Praecipuas vero hujuſmodi prudentiae regulas, quae maxime in diverſis caſibus variare poſſunt, in ſequenti capite, tum & alibi, prout ſe occaſio tulerit, in deſcribenda praeſertim morborum hiſtoria, proponendas habemus. Hic enim generalia tantum ex-

poſuiſſe , ſimulque tyrones de re ſatis gravi monitos in anteceſſum feciſſe , princeps fuit animi noſtri ſollicitudo.

CAPUT V.

Therapeutica.

Poſtquam in ſuperioribus capitulis de morbis, & eorum differentiis, & cauſſis, & ſignis, quoad ſatis in prima inſtitutione videtur, dictum fuit, nunc quicquam de his ſubjungere oportet, quae ad curandi methodum pertinent, ſive ad regulas, quibus aegrotantium reſtitutio pro virili parte perfecta obtineatur. Explet haec omnia *Therapeutica*, ſic dicta a verbo graeco θεραπεύω, quod *miniſtrare* ſignificat, vel curam habere, & hinc mederi. Medicus enim juxta *Hippocratis* aſſioma ut Naturae Miniſter fingendus eſt, qui jugiter id ſibi proponere debet, ut eidem ſerviendae unice incumbat. Quo autem pacto obtineri id tuto poſſit, breviter nunc explanare operae pretium ducimus.

Dum Medicus ad aegrotantem accedit, eo animo id facere ſemper decet, ut maximas eidem ſuppetias ferre, ipſumque incolumem reſtituere firmiter ſibi propoſitum habeat. Quod quidem nuſquam recte fieri poterit, niſi attente ad ea mens applicetur, quae in corpore aegroti praeter naturam in primis adveniunt, & morbo-

ſum

ſum ſtatum conſtituunt, vel ad hunc referri quoquo modo poſſunt. Haec enim omnia praecipuum componunt Naturae idioma, quo ipſamet quae facienda ſunt dilucide explicat. Ita ut cum recte intellectum id fuerit, nec ulla ſe immiſceat in eo interpretando erronea praeſumptio, rem medicam certiorem inde fieri poſſe, haud affirmare dubitamus. Quicquid vero in aegrotantis conſideratione obviam venit, quod Medicum de his, quae agenda ſunt, inſtruat, ſuique conſervationem, vel ablationem expoſtulet, *indicans* dicitur. Cognitio, quae inde acquiritur, quaeque peculiarem agendi modum in mente Medici repraeſentat, *indicatio* audit. Nomen tandem *indicati* inſtrumentum recipit, cujus applicatione quae ab indicante expetuntur perfecte obtineri utcunque valent.

Ex his ſatis intelligitur, quod munere indicantium fungantur non modo cauſſae morbi, morbus ipſe, & ſyntomata: ea nempe, quae tollenda ſemper ſunt, verum etiam vita ſuperſtes, ejuſdemque cauſſae, & phaenomena, quae diligenter conſervare oportet. Porro *indicatio vitalis* dicitur, ſive *conſervatoria*, quae vitam in morbis reſiduam, quoad fieri poteſt, ſuſtinendam expoſtulat; *curatoria*, quae morbum jam praeſentem profligandum omnino eſſe repoſcit; *palliativa*, quae ſyntomatum moleſtiam, ſatis aliquando gravem, mitigandam exquirit; *pro-*

phylactica tandem, ſive *praeſervatoria*, quae cauſſas morboſas petit diſſipandas, antequam plena in morbo producendo earundem efficacia fieret.

Utinam vero Medicorum ſtudium in ſola ponendum eſſet indicantium conſideratione; his enim recte perpenſis, facilis nonniſi inde evaderet indicatorum cognitio, & applicatio, & hinc pari facilitate omne conſummatum haberetur Artis votum. Verum importuna ſaepius accedit *contraindicantium* praeſentia, ſive phaenomenorum, quae indicantibus contraria ſunt, quaeque reſpuunt omnino quae ab his petuntur. Implicatiſſimum idcirco contraindicantia Medicis negotium faceſſunt, a quo ſumma nonniſi difficultate ipſis ſeſe expedire quandoque conceditur. Canones vero, quibus generatim in deſcripto indicantium cum contraindicantibus conflictu tutior via teneri poſſit, ſequentes habentur.

Dum contrariae indicationes in morbis apparent, quae magis urget explenda in primis eſt, alia tamen non neglecta. Ita ut in hoc caſu agere quidem oportet, ſed magis ſemper moderate, quam ſi nulla contraria adverſaretur indicatio. Omnium vero indicationum urgentiſſima ſemper exiſtimanda eſt vitalis, quae reliquis idcirco anteponenda. Idem dicendum de curatoria, habita ratione indicationis palliativae: dummodo vehementiſſimum

ali.

aliquod ſyntoma, quo morbus intolerabilis redditur, vel magis periculoſus, omnem haud revocet Medicorum attentionem; tunc enim palliativa primatum aſſumit, cui ſatisfacere in primis oportet, donec praeceps tumultus compeſcatur, tempuſque fiat, ut curatoria indicatio jura ſua iterum aſſumat. Quod ſi ob indicationis obſcuritatem haud ſatis pateat quid agendum ſit, a ſimili morbo lumen petere oportet; ſimulque attente obſervandum num quod in uſum trahitur utile ſit, nec ne. Hoc enim pacto ſatis ab initio cognoſci poteſt, vera, an falſa indicatio ea ſit, quae accipitur, & num iiſdem idcirco inſiſtendum, quae adhuc in uſum revocata ſunt, vel contrariis.

Optima methodus raedendi ea haberi praeterea debet, qua omnis curatio *cito* fiat, *tuto*, & *jucunde*. Quod quidem vulgariſſimum aſſioma medicum praecipuas (ni errore ducimur) regulas continet, quibus res aegrotantium ſapienter dirigi poteſt, & gubernari. Cum enim morbus quidquam ſemper foveat vitae inſenſum, quo tandem & perfecta ejuſdem vaſtatio procuditur, ut maximus oeconomiae animalis inimicus fingi debet, quem ideo ab aegrotantium corpore quam citius expellendum eſſe nemo eſt qui non videt. Nulla igitur interponenda eſt mora, ſimulatque indicans quodcunque apparuerit, ut ejuſdem expletio fiat.

fiat. Occaſio enim praeceps eſt, quae ſi tranſierit, inutilis, imo periculoſa, expetita jam antea diligentia evadet. Hinc haud laudanda eorum ratio videtur, qui oſcitanter expectando, omne tempus, ſatis plerumque in morbis pretioſum, fruſtra perdunt. Saepius namque non a prudentia id factum novimus, ſed a quadam animi fluctuatione, ab inſcitia, & experimentorum defectu ut plurimum orta. Nullo enim pacto admitti poteſt, quod Natura ſolis ſuis viribus morbum ſemper debellare potis ſit. Ex quo fieri neceſſario debet, ut ſi reapſe impar ad hoc inveniatur, nullo auxilio ſuffulta, certam oppreſſionem feret, & plerumque irreparabilem. Dum vero auxiliaria Medicina accedit, quidquam ſemper boni expectari poteſt; haec namque validam naturam dirigit, impotentem reſtaurat.

Fateri tamen oportet, quod a deſcripta auxiliaria Medicina tum bonam frugem expectare debemus, cum a conſummato Medico, & in omni naturali diſciplina perito adminiſtratur. Hoc enim pacto omnis, quae ab Arte induci poteſt, pernicies ſemper vitabitur, ſicque curatio non modo *cito*, ſed *tuto* etiam perficietur. Porro ad hanc ſecundam conditionem ducit quoque delectus inſtrumentorum, quae in uſum revocanda ſunt; quorum ſane ſimpliciora compoſitioribus, mitiora actuo-

ſio-

ſioribus ſunt ſemper anteponenda. Caſum tantum excipe, in quo deſperata res aegrotantium, ut quicquam potius, etſi dubium, quam nihil periclitetur, expoſtulet. Nota ſimul ea ſint, &, cum fieri poſſit, longo uſu comprobata. Hinc arcana remedia jugiter reſpuenda, ea in primis, quae ut univerſales medicinae venditantur; nihil namque medicae rationi, etiam vulgariori, tam aperte opponitur, quam inepte a vulgo celebrata quaecunque panacea.

Ad majorem praeterea aegrotantium ſecuritatem maxime ducit, ut in formulis medicis deſcribendis omnes ablegentur grammatiſtarum ineptiae, adhibeanturque non contracta, ſed aperta verba, & vernacula, ut ſic nullo dubio pharmacopolis earumdem ſenſum intelligere facile concedatur. Nec minus a frequenti medicamentorum mutatione ſe abſtinere debent Medici; cum ſaepius, in morbis praeſertim chronicis, prima pericula nullum de eorum activitate argumentum praebent. Frequens vero, & inconcinna mutatio, non ad reſtaurandam, ſed ad opprimendam naturam facta potius videtur.

Dum vero haec omnia ſic peraguntur, *jucunditati* ſimul conſulendum; id nempe Medici etiamnum efficiant, ut minus gravis, quoad fieri poteſt, aegrotantibus medicatio evadat. Cum ergo remedia in uſum revocanda

da ſunt, minus ingrata ſeligantur, habita praeſertim ratione guſtus, & idioſyngraſiae aegrotantium; vel ſi nulla locum habere poſſit ſubſtitutio, modus inveniatur, quo moleſtia medicaminum retundatur, vel quovis modo obtegatur. Nihil profecto moleſtius, nocentiuſque ab aegrotantibus fingi poteſt, quam inexorabilis Medicorum ſeveritas, & obſtinatio. Quod ſane, ut de medicamentis, ſic de cibis etiam intelligi omnino oportet. Imo vero praecipua in his praeſcribendis regula a ſpecifico aegrotantium appetitu, & naturali propenſione deducere, tutius fortaſſe erit.

Quod ſi de incurabili morbo agatur, vel perdifficili, nunquam ſpes ab aegrotantium animo delenda eſt; unicum id enim habetur in hominum vita, plena miſeriis, dulce blandimentum, potiſſimum cum animi vires magis magiſque depreſſae a morbo fiant. Eam ergo diruere, maximum immanitatis argumentum erit, quod ab humana ratione ut continuo alienum ſit, enixe ominamur. Medici autem id firmiter in mente repoſitum habeant, quod morbus ſanari non ſemper poſſit, aegrotus vero jugiter conſolatione leniri maxime poſſit. Hoc idcirco ut praecipuum haberi debet eorum officium, qui divinam propemodum artem profitentur, humanitati quocunque modo levandae unice, ut videtur, deſtinatam.

423,831

Digitized by Google

Digitized by Google

423831
L. 1—

Digitized by Google